Florencia 1615

fl. 2.

MANVALE PAROCHORUM.

Sive,

INSTITVTIONES,

&

PRAXES,

Tum Vitæ, tum Officij
PASTORALIS,

Ex lectione variâ, & studiosa observatione in brevem, & familiarem Methodum

REDACTÆ,

Eorum gratiâ præsertim, qui primùm ad Animarum Curam emittuntur,

EDITÆ,

antehac
Viennæ Austriæ
nunc vero
Permissu Superiorum recens impressum.

ANNO M DC LXXXVIII.


Percipietis Gloriæ Coro
PASCITE GREGEM DEI, FORMA
FACTI GREGIS. 1 Pet. 5.

APPROBATIO.

LIbrum non indocti (ut apparet) Authoris; cui titulus MANVALE PAROCHORVM, ſive INSTITVTIONES, & PRAXES TVM VITÆ, TVM OFFICII PASTORALIS, mihi ab Admodum Reverendo P. Nicolao Donellano, SS. Theologiæ Doctore exhibitum accepi; & ab eodem, ijſque duobus Doctoribus Theologis examinatum; quod propter brevem, claram, & probæ doctrinæ Methodum dignus judicetur, qui Parochorum, eo-

rum præſertim, qui primùm ad Animarum Curam dimittuntur, manibus multorum bono teratur; pro officio, quo fungor, in lucem edi poſſe cenſeo, & approbo, Viennæ 6. Septem. 1651.

Octavius de Tertio, Cathedralis Eccleſiæ ibidem Canonicus, Facultatis Theologicæ p. t. Decanus.

Imprimatur

GEORGIVS TASCH,
SS. Theolog: Doctor, p. t.
Vniverſitatis Rector.

DEDICATORIA.

Adm: Reverendo, Nobili & Magnifico
DOMINO,

D. GEORGIO
TASCH,
SS. Theol: Doctori, Protonotario Apostolico,
CANONICO
Cathedralis Ecclesiæ Viennensis,
CONSISTORII EPISCOPALIS
ASSESSORI,
Celeberr. & Antiquiss: Universit:
RECTORI EMERITO.
Munificentissimo suo Mæcenati, &c,

GEmmam reperi, ADMODUM REVERENDE, ET MAGNIFICE DOMINE, cùm in præsens Opusculum incidi. Ut amplissimi precij epitome quædam est gemma; sic fusissimæ Doctrinæ

compendium præsens est MANUALE. Habebat illud inter eruditos suos partus reconditum, sed nondum absolutum Vir in Vniversitate Viennensi probè doctus, & mihi perquam familiaris; apud quem gratiâ tantum valui, ut quà Hiberniæ, natalis mei Soli, sub Hæreticorum jugo laborantis intuitu; quà porrigendi in manus subsidij causâ ijs, qui quotannis ex hoc Archigymnasio ad Animarum Curam emittuntur, tandem absolueret. Impetravi id quidem: ut autem in lucem ederet, evincere non potui. Sed neq; passus sum me impediri, quin publico bono servirē.

Subje-

Subjeci igitur opus Theologicæ Censuræ: examinatum est, & privatim multorum voce dilaudatũ, publicâ etiam Inclytę Facultatis Theologicę Decani subscriptione approbatũ. Ut verò in publicum prodiret audaciùs, & Curatorum manib⁹ sese offerret confidentiùs, ad tuas primùm manᵒ cum debitâ submissione eum volui delatum. Existimabam enim alijs facilè probatum iri, quod Tibi ab añis viginti duob⁹ SS. Theologiæ Doctori, per annos viginti sex Curatori, nunc in Episcopalis Consistorij Senatũ ascito; & nuper, cùm hic partus conciperetur, Antiquissimæ, & Celeberri-

mæ Vniversitatis Viennensis Rectori probatum evulgaretur.

Accipe, ADM: REVERENDE, AC MAGNIFICE DOMINE, meæ in Te observantiæ testimonium, quantumvis ex alienis bonis petitum; & ut soles aliàs, liberali communicatione Bona, hoc quoque in lucem diffunde. Gemma à luce suam accipit nobilitatem. Me verò ad Te magis contrahe, & quo hactenus, imposterum gratiæ, & favoris sinu fove.

Offerebat

Pro Xenio Anni 1652.

Fr. Nicolaus Donellanus Ord: Eremit: S. Augustini, SS. Theologiæ Doctor, ejusdemque publicus in Vniversitate Viennensi Professor, & p. t. Decanus.

PROOEMIVM, MENS AVTHOR.

VErè, & pridem dictum, Ars Artium Regimen Animarum; quo in negotio peccari graviſſimus error eſſe poſſet. Ideoq; qui eam Artem vult profiteri; videat imprimis, quam operam in eâ perdiſcendâ poſuerit, quantum profecerit: neque verò facilis, aut brevis eſt iſta ars: quam niſi multo ſtudio, & longo uſu non comparaveris: quare ſi rudis adhuc, & inexpertus ſis; neceſſarium eſt eos adeas, & audias, qui eam doctrinam vel tractârunt ipſi diu, vel aliunde acceptam alijs tradiderunt. Scripſere quidem ejuſmodi inſtitutiones, & induſtrias non pauci; ſed aliqui confusè, aliqui fusè nimium; qui ordine, & methodo familiari, eâque brevi; fortaſſis non multi; ſaltem qui in manus meas venerint. Quamobrem à quibusdam boni publici ſtudioſis impulſus ſum; ut ſi quid variâ multorum annorum lectione, & longo uſu obſervaſſem, in compendium, brevi, & facili Methodo conjicerem, in gratiam præſertim eo-

rum, qui ex Scholis, & Seminarijs ad Animarum Curam primùm emittuntur. Obsequor tandem divinæ gloriæ, & salutis alienæ desiderio: Conscientiæ casus non explico: passim habentur libri, qui hos tractent; imò neque omnes officij Pastoralis partes, ductis longè ambagibus, aut periodorum numeris prosequor, longum id fuisset: sed Praxes quasdam, & Instructiones tum Morum, tum Administrationis rerum sacrarum, tum Conversationis cum subditis, breviter trado; non ut eas venditem pro certis Regulis; neque enim eâ Authoritate polleo. sed ut sequaris, si placent; quamdiu aliquid melius non suppetit.

Accipe, mi Lector, hanc operam meam eâ mente, quâ defero; brevis sum, ut tempori parcam; exiguus, ut tuis sumptibus, & labori minùs incommodem; Si non pigebit legere; fructum, uti spero, referemus; Tu tuæ operæ, ego mei Opusculi.

Utere, & bene vive, ac vale.

SVMMARIVM INSTRVCTIONVM,

Quæ in hoc Manuali continentur.

PARS I.

Virtutes in Parocho requisitæ.

PARS II.

Administratio Sacramentorum.

gillo strictißimè servando, & de Schedis Confeßionum.

Quædam Particularia circa Infirmos.

Num. 21. *Quibus Rationibus urgendi infirmi ad Confeßionem, ne differant.* 22. *De infectis morbo contagioso praxes.* 23. *De lœthaliter vulneratis.* 24. *De periclitantibus ex partu.* 25. *De Morientibus excommunicatis, Vsurarijs, Concubinarijs.* 26. *Quomodo agendum cum moribundis, qui loqui non possunt, etsi intelligant.* 27. *An, quando, quomodo, qui jam neque loqui possunt, neque intelligere possint.* 28. *Quid possit Parochus in dispensatione circa dies festos, aut jejunia.*


Num. 1. *Quoties Parochus teneatur sacrificare.* 2. *An pro populo, & pro stipendio.* 3. *Quoties in die, quâ horâ, an semper jejunus.* 4. *Quæ intentio requiratur ad Consecrationem præsertim minorum hostiarum pro communicaturis.* 5. *Quid agendum circa fragmenta non cohærentia, aut guttas vini intra, vel extra cuppam calicis, quoad consecrationis intentionem.* 6. *Quid agendum de particulis consecratis, proprij, vel alterius Sacrificij.* 7. *De interruptione Missæ inchoatæ.* 8. *De quibus monendus populus pro Concione.* 9. *De requisitis ad Sacrificium.*

De Communione populi generatim.

Num. 10. *Praxes de instruendis, & parandis*

ijs,

verso



Schema sive Arbor Consangui„ nitatis.
Abavus. Abavia. IV.
Proavus. Proavia. III.
Avus. Avia. II.
Pater. Mater. I.
Filius. Filia. I.
Nepos. Neptis. II.
Pronepos. Proneptis. III.
Abnepos. Abneptis. IV.
Magnus pro„ patruus Magna proamita. IV.
Magnus patr„ ruus Magna, amita. III.
Patruus, Amita. II.
Frater. I.
Filij et filiæ fratris. II.
Nepotes, et, Neptes, ex fratre. III.
Pronepotes, et proneptes. ex, fratre. IV.
Magnus pro„ avunculus. Magna, promatertera. IV.
Magnus avun„ culus, Magna ma„ tertera. III.
Avunclus, matertera. II.
Soror. I.
Filij, et filiæ sororis. II.
Nepotes, et, Neptes ex sorore. III.
Pronepotes et pronéptes ex sorore. IV.
Masculus, hic sculptus, aut Fœmina loco illius posita neque unt contrahere cum nullis per„ sonis hic assignatis quia om„ nes sunt intra quartum gra„ dum Consanguinitatis.
Si petatur dispensatio, declaretur in quâ lineâ, et quoto gradu tam ex parte unius Contrahentium quam ex parte alterius

M

Pascit

Q

Paro
pertr
ſed n
præſ
aut i
prob
apud
lâ Jo
quieb
homu

MANUALIS PAROCHORUM

PARS I.

Institutiones morum.

Pascite, qui in vobis est, gregem DEi, forma facti gregis ex animo. 1. Petri 5.

CAPUT I.

Sit boni exempli.

NUM. 1.

Quanti id referat.

QUò pastor ovium præit, grex sequitur: sive ille in planitiem ducat, sive in præceps: ita populus Parochum observat, & quò ille præcedet, pertrahitur: ea vis est exempli boni, mali: sed mali præsertim, in iis maximè, qui præsunt; credunt enim subditi sibi licere, aut impunè fore, quod factis majorum probari vident. In hunc sensum Juvenis apud Comicum conspicatus in pictâ tabulâ Jovem adulterantem: hoc facit ille, inquiebat, qui cœlum tonitru quatit, ego homuncio non facerem? tantum nocuit

vel umbram ſpectaſſe. Quod ſi Medico probrum eſt obj ci *Medice, cura te ipſum*, probroſius paſtoribus animarum obijcitur, *Dicunt, non faciunt*, quibus ſi contrà obtrudas, *quæ dicunt facite*, ipſi retrudant. *Sed væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Refert Cantipratanus Parochum quendam, qui, uti erat improbus, improbè regebat, incidiſſe in lethalem morbum; apparuiſſe decumbenti S. Petrum paſtorum principem, & obtuliſſe legendum ex libro, hoc ſcriptum: *Mortificas animas, quæ non moriuntur, & vivificas, quæ non vivunt: quomodo reduces animas eorum ex inferno, quos tu exemplo deſtitutos æterno barathro addixiſti?* Hoc fulmen ne recidat in caput, pavendum, cavendum.

NUM. II.

Senſus Sanctorum Patrum.

MUlta de hoc argumento SS. Patres. acerbè Bernardus, *Miſera Sacerdotum converſatio, fit miſera plebis Dominicæ ſubverſio.* Explicant id Ambroſius & Chriſoſtomus capitis & membrorum in homine; radicis & ramorum in arbore ductis aptè ſimilitudinibus: ut enim mali humores à capite in membra, vitia à radice in

ramos ſeſe diffundunt: ita à Parochis in Parochianos eadem dimanant, & quod conſequens eſt, graviſſimæ offenſi vindicisq; numinis iræ, & ſupplicia: hinc illæ in Ieremiâ lachrymæ, *Quia ſtultè egerunt Paſtores, & Dominum non quæſiverunt, omnis grex meus diſperſus eſt.* Certè (ut cæteros Lileam) SS. Cyprianus & Gregorius graviſſimas calamitates ſuorum temporum, ille in Africam, hic in Italiam divinitùs immiſſas Sacerdotum peccatis adſcribunt: neque nos inficiari poſſumus Paſtorum incuriâ, luxuriâ, luxu, faſtu, aliiſque peccatis factum: ut peſtilentiſſimæ hæreſes magnam Europæ partem infecerint, eámque intulerint corporum, animarúmque ſtragem, qualem etiamnum deflemus.

NUM. III.
Mens Tridentini Concilij.

NIhil eſt, ajunt graviſſimi Patres Tridentinæ Synodi, *nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & DEi cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicârunt: cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur; in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex eisq;*

sumunt, quod imitentur: quapropter decet omnes vitam, morésque componere: ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisq; omnibus rebus nihil nisi grave moderatum, ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant: ut eorum actiones cunctis adferant venerationem. Verba singula ad rectæ rationis bilancem trutinare, & expende: ac demùm ad ejusdem Sacrosancti Concilij statutum mentem adverte: est severum, & acre: statuit enim: ut quæ aliàs à summis Pontificibus, & sacris Conciliis de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, & ejusdem generis sancita fuerunt, iisdem impositis pœnis, aut etiam majoribus Ordinarij arbitrio constituendis observentur, quarum lègum ac pœnarum ratio fuit bonorum morum corruptela ex pravis Pastorum exemplis: & licet ista generatim in clericos ferantur: nemo tamen nescit ad Parochos potissimùm pertinere.

✠✠
✠

CAPUT II.

Sit humilis.

NUM. I.

In animarum Pastore humilitas imprimis necessaria.

VEstes, quibus Mosaici Sacerdotes induebantur, varij erant coloris, tunica verò, quę superinducebatur, ad talos usq; prominebat: ut ex vestitu intelligerent à se propriè requiri omnē justitiam, id est, omniū virtutū inter se complexarū vario, eoq; pulcherrimo, ornatu animi præstantē. Quòd multò magis ad novæ Legis Sacerdotes, multò etiam maximè ad eos, qui in animarum curâ alijs præsunt, traduci debet. Sed tamen sunt in amplissimo illo virtutum numero nonnullæ, quæ ob singularem causam in pastorali munere præ reliquis desiderantur: atq; imprimis eximia quædam Humilitas, virtus cæterarum parens, altrix, custos. Primò enim cùm Christi gregem pascere de se munus sit præclarum, atq; eminens; nihil pronius est, quàm animum plus æquo efferri, nisi Humilitas intra modum hominem contineat, quare magnos monet Scriptura;

Quanto maior es, humilia te in omnibus. Prætereà, cùm hic honos onus ſit admodum grave, humaniſq́; viribus impar, & periculoſum, præſertim adhuc inexperis, exquirendus eſt ſingularis Dei favor, quo pares animi, viréſq; ſuppeditentur: atqui ex ſacris literis, & plurimis hiſtorijs conſtat, nihil ita ad id conferre, atq; egregiam animi demiſſionem: ideò idem Sapiens, cùm monuiſſet: *Humilia te in omnibus*, ſubjunxit, *& coram DEO invenies gratiam*, mirum enim quantum ſuprema illa Majeſtas conſentiat humilibus, & contrà ſuperbis reſiſtat. Contuere uno quaſi aſpectu omnem præteritorum temporum hiſtoriam, reperies DEUM hunc ſemper luſum in orbe terrarum luſiſſe;

Exaltare humiles, & debellare ſuperbos.

Sint inſtar omnium duo paſtores Saul, David: ille, quòd ſuperbè egiſſet, regno, & vitâ excidit: hic, quòd parvulus eſſet in oculis ſuis, caput in tribubus Iſrael effectus eſt: quanquam nihil opus veteribus exemplis, abũdamus eorum partim, qui cùm ſe demiſsè in curâ animarum geſſiſſent, ad ſummos Eccleſiaſticorum hono-

rum

rum gradus evecti sunt, partim, qui ex humili nonnumquam loco ad sublimè animarum regimen elati, quòd se insolentiùs efferrent, eò graviori casu DEO ultore corruerint, quò altiùs conscenderant.

NUM. II.

De Modestia.

HUmilitatis filia, aut cognata est Modestia, cujus enim animo insederit humilitas, modestiam mox parit, aut secum aggignit, eâq́; æquè excellere oportet animarum Curatorem. Cernitur autem Modestia in externâ, eâq́; decenti totius corporis compositione, in moderato vestitu, ac victu, & in rerum necessariarum apparatu minimè sumptuoso. Perridiculi sanè pastores animarum essent, qui crines capitis in suggestum attollerent, calamistro in cirros comerent, infra auriculas promitterent, frontem caperarent, erigerent supercilia, oculis sagittarent, inflarent genas, nasum corrugarent, labia premerent, barbam mustacijs infamarent, idq́; non nunquam cum periculosâ sacri calicis sumptione: verba infringerent, & ad aulicismum formarent, manus jacta-

rent, incessum ad modulos componerent, calceos fenestratos, tibialia serica, undulatam supra modum vestem, & nitentem circumferrent, & ostentarent, quid magis insolens, & quid inconcinnius istâ concinnitate in Clerico? Igitur vestis sit munda, sed absit fastus, & luxus, sive in materiâ, sive in modo vestiendi: sit domus nitida, sed absit nimius aut sumptus, aut splendor. Dignitas sit in coronâ detonsi capitis, & decenti habitu clericali: nam hæc Sacerdotij insignia sine causâ negligere sunt qui damnent culpæ gravioris: præsertim ubi id foret scandalosum. Quo in genere facilè etiam offenderes, si absq; veste clericali vel domi, vel foris ab alijs deprehendaris.

NUM. III.

De mansuetudine, & patientiâ.

IAm S. Bernardus mansuetudinem humilitatis collectaneam appellavit: itáq; ut humilem ita te modestum ad omnes esse oportet. Consistit autem mansuetudo præsertim in moderandis motibus iracundiæ: ut nihil ore, gestu, facto iracundè agatur, nequid implacidè, aut duriter, ne

qui-

quidem cum ijs, qui conditione viles sunt, aut bilem movent. Itaq; dentes neminem mordeant, caninum hoc est; lingua nullum virulenter pungat, istud serpentinum: hominis est sermone uti humano, moribusq; commodis, etiam in homines agrestes, & non nihil feros.

Atq; hîc porrò necessaria est patientia quam mansuetudini naturaliter esse conjunctam S. Basilius dixit: cùm enim patientiæ inter cætera officium sit, inter res adversas, & nonnunquam duras, atq; acerbas frœnare animum, ne in verba iracundiæ prorumpat: immitiùs, atq; impetuosiùs ages; nisi patientia retineat: atq; hoc tandem pastoritium est, vita scilicet laboriosa, & multorum incommodorum patiens. Vide hîc tu mihi breviter velut in speculo oviculam: animal hoc quidem timidum est, atq; fugitivum: sed tamen docile, & sequax; nam si pastorem nanciscatur humilem, modestum, mansuetum, patientem, regi se, & quocunq; duci sinet. At si superbum, insolentem, durum, impatientem; aut fugiet è grege, aut tractari refugiet. Ita te amabit populus, & facilè

ſequetur, ſi demiſſione animi, modeſtiâ, manſuetudine, patientiâ prææditum videt: ſi verò elatum, ſi immodeſtum, ſi immanſvetum, ſi impatientem, odit, horret, néque patitur. Verùm de his commodiùs, &paulò fuſius, cùm in tert. part. de modo converſandi agetur.

CAPUT III.

Sit liberalis.

NUM. I.

Turpitudo Avaritiæ.

EST hoc vitium non modò illiberale; ſed planè inhumanum; deniq; multorum capitum, capitalium, inquam, ſcelerum Hydra: A Sapiente pridem dictum, *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam; avaro autem nihil eſt ſceleſtius.* Et Apoſtolo avaritia idololatriæ cujuſpiam genus eſt. quod explanans S. Auguſtinus: *Auari,* inquit, *frui volunt nummo; uti autem DEO: quoniam non nummum propter DEUM impendunt; ſed DEUM propter nummum colunt.*

NUM. II.

Deteſtanda in ſacris.

ID etſi ſemper turpe ſit: tùm verò turpiſſimum; imò flagitioſiſſimum in Clericis,

cis, qui non modò crines, curam ſcilicet rerum ſuperfluarum, ſolenni ritu à ſe abdicarunt; ut in Domini ſortem venirent: ſed & quò ſanctiùs ſacra tractarent, ſe quoqué divino cultui dedicarunt. Quàm putas execrandum: ſi ij de rebus ipſis ſacris nundinentur; & (quod de nonnullis Apoſtolus conqueritur) *ipſam pietatem quæſtum faciant?* nam ſi habere quæſtui rempubl. ſceleratum, & nefarium eſſe duxit & dixit Cicero, immane quantum horribilius, haberi quæſtui ipſam religionem? adeò (quod idem Orator ſcribit) *nullum eſt officium tam ſanctum atq; ſolenne; quod non avaritia comminuere, atq; violare ſoleat.* Veniant hic tibi, quæſo, in memoriam filii Heli: hi neſcientes *Dominum* (ut referunt ſacri Regum annales) *neq; officium Sacerdotum ad populum*, miniſtris ſacrorum mandabant: ut fuſcinulâ tridente, victimarum carnes levarent, dum coquerentur, & ut antequam adipem adolerent; crudam carnem vi aufferrent eâ ferreâ lege, *aut dabis, aut vi tollam: erat autem*, inquit idem ſacer textus, *peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Vis audire cauſam? *quia retrahebant homines*

à sacrificio Domini. Sed non fuit impune scelus hoc; Supplicium enim grave de sacrilegio sumptum; in flagitij detestationem arca capta, impij sacrificuli morte mulctati, suâq; ruinâ parentem quoq; conniventem involverunt. Redeat præterea in mentem Simoniacæ labis antiquus author Giezi. Hic pro leprâ divinitus depulsâ pretium Elisæo priùs oblatum atq; repudiatum, cùm sordidus nundinator corrasisset, pro supplicio sibi, posterisq; lepram domum reportavit.

Agè verò quid faceres, insignibus scilicet animarum curatoribus, qui non tam procurandæ religioni, quàm cumulandis opibus incumberent? Quibus non pascere gregem; sed se ipsos cura esse, inservire non illius; sed proprijs commodis; quos videres non vivere contentos ovium lanâ, & lacte: sed etiam eas mulgere ad plenum, imò ad cutem deglubere intentos: qui pro rebus sacris, ipsisq; Sacramentis pecuniam exigerent à pauperibus, etiam extorquerent hâc impiâ voce, vel sponte dabis, vel tollam, si, prô nefas! aquam baptismi pecuniâ ab egenis extor-

extortâ venditarent, & Christi sanguinem pro viatico petentibus nisi acceptis 30. denarijs tradere nollent. Scio his præsertim temporibus, ac locis ejusmodi pastorum idola, aut portenta vix reperiri. Sed tamen olim fuere aliqui, & sunt fortasse nonnulli; vide ne tu unus.

NUM. III.

Insignis Liberalitas in Pastoribus Ecclesiasticis.

UT avaritiæ vitium est sordidum, ac barbarum in viris Ecclesiasticis, ac pastoribus præsertim: ita liberalitas virtus est præclara, omninò regia, divina: nihil splendidius auro, & argento; cùm in arcâ non sordent; sed pauperum manibus teruntur; nihil magis regium, quàm dare, imò nihil magis divinum, da, & Deus eris. Prolixum argumentum persequi non vacat: inspice saltem per transennam exempla præstantium aliquot Pastorum, qui cùm scirent ecclesiastica bona patrimonium esse Christi, sibi quàm minimum reservabant, quàm plurimum in egenos dividebant.

Joannes ille, qui à re ipsâ Eleemosynarius dictus est, ita sibi parcus, ita in pauperes effusus vixit: ut moriens in arcâ non plus uno nummo reliquerit, quem etiam ne quid super esset, pauperibus legarat; domesticam habebat pauperum turbam, quos Dominos suos appellabat, ijs quidquid poterat colligere, etiam lectos, & stragula per nomina in singulos elargiebatur; quorum similia de S. Carolo Borromæo in vitâ accepimus. Quid de S. Basilio? disce de rationibus, quas exigente Juliano Apostatâ de rebus à se possessis, ita reddidit.

Reditus mei Episcopatus sunt

Ager - - -	1.
Oleæ - - -	10.
Alvei - - -	10.
Mola - - -	1.
Oves - - -	40.
Palmæ. - - -	8.
Fici - - -	3.

PARVUS HORTUS.

Pergit

Quorum me dominum non sentio, sed dispensatorem; cùm mihi eorum incumbat cura: ut inde pauperes alantur: nam hic status noster adeò arctus est; ut si

fors

fors quispiam Sacerdotum ea sibi reservet, aut in malos usus expendat, æqualem pœnam mereatur, & qui dilapidat & qui ex altari furatur. Audis Paroche? Gregorius Thaumaturgus, cùm viveret, nullius loci dominus dici: post mortem verò jacere voluit non nisi in alieno sepulchro. S. Paulinus Episcopus Nolanus ita orabat: *Non excrucior, Domine, propter aurum & argentum: tu enim scis, ubi sint omnia mea.* Opinor ego, Pauline, ibi fuisse reposita, ubi posuit etiam ille, cujus hæc vox semper erat in ore, *Deus meus, & omnia.* Habes pastores animarum, qui non opibus alienis cumulandis; sed suis profundendis studuerunt. Hos inspice, ista imitare: admovet stimulum Apostolus: *Est,* inquit, *quæstus magnus pietas cum sufficientiâ: nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium; quin nec auferre quid possimus: habentes autem alimentum, & quibus tegamur, his contenti simus.* Atqui ut parvo alamur, natura paucis contenta est, tegi verò etiam faciliùs, & minori possumus. Subjungit deinde ingentia mala, quæ avaritia secum trahit, ac deniq; concludit; *Tu verò homo Dei* (ita pastorem animarum appellat) *hæc fuge, sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, misericordiam.* CA-

CAPUT IV.

Sit Castus, & Sobrius.

NUM. I.

Necesſitas caſtitatis præſertim in Neo-parochis.

NOn licet, neq; hîc lubet excurrere in laudem Caſtitatis: licet habeam campum apertum, & latè patentem. Paucis multa complexus eſt S. Bern: *Quid*, ait, *decorius Caſtitate? quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum deniq; de homine facit?* Verùm ut in omni hominum genere decora ſit, maſculà, imò angelica iſta virtus, at certè non modò decora eſt in Sacerdote; ſed etiam apprimè neceſſaria, idq; ſignificabat in lege veteri tunica Sacerdotalis non modò de ſe ſtricta; ſed quam etiam baltheus ad renes arctiùs adſtringebat: quæ lex multò nunc magis noſtros Sacerdotes obligat, quòd ad res ſanctiores, divinioreſq; tractandas initientur, & quotidie in ſacrificio caſtiſſimum Agnum CHRISTI corpus, & ſanguinem, manibus, ore, intimis viſce-

viſceribus contingant, quod fieri oportet, ſanctè, caſtè.

NUM. II.

Difficultas.

AT tibi præ cæteris, mi Neo-paroche, ad æmulationem, & gloriam Angelicæ Sanctimoniæ maiori ſtudio enitendum eſt, quòd ob ſingulares cauſas ad eam pertingere tibi futurum ſit difficilius: nam primò evocaris ex eo loco, ubi plurima ſtabant tutandæ pudicitiæ propugnacula, ſcholarũ optimi magiſtri, Marianarum Sodalitatum exercitationes, ſuperiorum, qui â latere, & in oculis perpetuò aderant, vigiles curæ. Nunc verò immitteris in liberum campum, ad peſtilentem auram, ubi remotis arbitris, & cenſoribus effrænes paſſiones, præſertim libidinum, impunè magis vagantur, & potentiùs abripiunt, præſertim juvenilem tuam ætatem, quæ ignem oleumq; ſubminiſtrat; ut totus non magno negotio in flammam abeas. Deinde (quod caput eſt) ad ardendum incentiva impoſterum crebriùs

crebriùs incident, & vehementiùs incitabunt, vel ex domestico fœminarum contubernio, vel ex aliquarum nonnunquam familiaritate prætextu quodam pietatis; nonnunquam verò ex necessario subsidio officij pastoralis. Nihil periculosius ad naufragandum, quàm istæ Syrtes, Scyllæ, Charybdes. Præterea domum adventant, aliæ nescio quid negotiorum acturæ: aliæ in templo confitentes audiuntur ad aurem nullo teste, nullo arbitro, non rarò locis, & temporibus obscuris, conjugatæ, viduæ, puellæ, nonnunquam etiam lupæ. Nemo non videt, quàm ista, præsertim si in animum minùs castum incurrant, primò validè succutiant, deniq; deturbent. Res loquitur, & utinam tacerent exempla. Quare meritò Concil: Trid: Seß: 25. de reform: c: 14. prohibet quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poßit haberi suspicio, in domo vel extra, teneant, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioqui vult, ut pœnas à sacris Canonibus vel statutis Ecclesiæ impositas incurrant. At necesse est, inquies;

quies; ut, nisi Pastoris personam, aut munus deponam; cum fœminis verser, subinde etiam converser. Quid tunc agam? Clypeum, & loricam indue; ut vel hostile telum retundas, vel infringas, vel ictum saltem evites. armis, & præsidijs hîc opus est, acriterque decertandum, ideò Palladem Virginitatis Deam antiquitas armatam esse finxit. Verùm ista persequi jam non vacat, ad libri calcem quædam necessariò dicenda mihi erunt; audies; si placet.

NUM. III.
Sobrietas.

SObrietas ebrietas, nomine affines, re maximè repugnant: illa castitatis amica, hæc inimica. Prolixum rursus argumentum: sed institutum meum monet, ut brevis sim: ego hîc satis habuero, si quantum Parocho necessaria sit sobrietas ex ebrietatis turpitudine ostendero. Philistini sacerdotes Dagon ventriculosum Deum, imò totum ventrem, coluere quondam. crederetne quispiam idolum istud etiam intèr primos Christianos sua

templa

templa habuiſſe, ſuas aras, ſuos ſacrificulos? certè Apoſtolus tales aliquos etiam flens agnoſcit, quorum Deus venter erat: quem locum explanans Tertullianus, *Deus*, inquit, *venter, pulmo templum, aqualiculus altare, quibus tota charitas in cacabis fervet, fides in culina, ſpes tota in ferculis.* Et vero hic ventri-dæmon habet adhuc aliquos myſtas, & ſacrorum miniſtros, atq; utinam nullos ex Sacerdotibus Chriſti, quibus iſtud Jeremiæ occlamandum ſit. *O Paſtor! O Idolum!* quid enim eſſet paſtor ebrius aliud, quàm Idolum? oculos haberet, & non videret; aures, non audiret; nares, non odoraretur; manus, non palparet; pedes, non ambularet; larva paſtoris eſt iſte paſtor, ac ne homo quidem: rectè enim Chryſologus; *Ebrietatem qui habet, homo non eſt*, & Auguſtinus. *eam, qui habet, ſeipſum non habet.*

Agedum nunc; quid fiet iſto paſtore non paſtore, homine non homine? an ſine gravi gregis offenſione præeſſe, an omninò officium facere poterit? ſi dicendum ad populum, ſi omninò loquendum erit, aut impeditâ linguâ amittet vocem, aut huma-

humanam non edet: frendebunt dentes, labia trement, nec manus nec pedes obsequentur, errabit, labetur velut comitiali morbo correptus, & quâ ratione homo ratione carens, horas Canonicas recitabit? quomodo, stabit ad altare? quo ore DEUM vocabit, quibus manibus tractabit, quâ temeritate in stomachum eructantem per impuras fauces transmittet? aut (si à sacrificio abstineat) in templo, vel non cantabit, vel submugiet.

Deniq; quanto non solùm cum scandalo, verùm etiam cum periculo baptismum, absolutionē, Eucharistiam, extremam unctionem balbutiens, titubans, vix sibi præsens, administrabit? Tamen ad sua munia ritè obeunda, ad Sacramenta sanctè ministranda dies, noctesq;, ac propemodum omni temporis momento Parochi prompti, & expediti esse debent: nam plerumq;, ut fit in humanis, subiti, & inopini casus accidunt, quibus necessitas, aut commoditas populi suo jure salutis auxilia deposcentis opem implorent, & quam pastores exhibere teneantur. En tibi, quàm necesse sit te non modò nunquam

quam ebrium, sed semper sobrium esse: nam ebrios Parochos credo jam nullos esse, aut certè paucos, at minùs sobrios, paulò plures. De convivijs, popinis, & lusibus erat quoque aliquid, quod monerem: Verùm alio postea loco fiet commodiùs.

CAPUT V.

Sit Prudens, Vigilans, Diligens.

NUM. I.

Regimen animarum singularem requirit prudentiam.

PRudentia cæterarum virtutum moderatrix est: ijs enim medium ponit, intra quod consistant, nè defectu, aut excessu à recto exorbitent: Principalis est hæc virtus, id est, virorum principum, & regum: sine qua regere velle insania est: Philosophi ea mens est, idque sapientes Ægypti oculo ad summitatem sceptri fixo hyeroglyphycè adumbrarunt; sed nulli prudentia necessaria magis, quàm pastoribus animarum, est enim hoc regimen, ut eminens, ita perarduum, ideoq;

Christus,

Christus, cùm Apostolos ad salutem animarum ex officio procurandam emitteret, prudentiam nominatim commendavit, *Estote prudentes, sicut serpentes.* quorum scilicet oculi & vigiles sunt, & ad pervidendum perspicaces. Quid hîc ais, Neoparoche? plurima sanè tibi erunt dicenda pro suggestu in concione, pro sacro tribunali publicè; privatim; sæpè danda consilia petentibus; sæpè non petentibus suggerenda; subinde etiam ex tempore: Argum propterea te esse oportebit centum oculis præditum: ut omnia longè, latèq; conspicias, & omnibus provideas. Profectò homo imprudens, & quem necdum magister usus docuit; tam multa, tamque varia atque perplexa, neque rectè, neque probè pervidebit, neque verò conficiet. Quid inde? illud sequitur. *Si cœcus cœca; &c.* reliquum nosti.

NUM. II.

Modi assequendi prudentiam in munere pastorali.

At ego, inquies, neque Argus, neque centoculus sum, neque per ætatem

tem aut experientiam esse possum: & quam tu à me homine novo, ante annos, & usum prudentiam quæris, aut requiris? neq́ue enim Salomoni me comparo, qui in somno repente sapiens evadam. Rectè, a s, igitur Salomonis exemplo, qui juvenis, & parùm expertus ad regendum vocatus est, ante omnia multâ, & ardenti prece sapientiam è cœlo accerse: ibi enim sedem habet. inde Salomon accersebat. *Sciens*, ait, *quia Sapientia* (nam de ea loquitur) *continens esse non possim nisi Deus det, adii Dominum, & deprecatus sum. Emitte* (ita enim orabat) *Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, & ne reprobes à pueris tuis, mitte illam de sede magnitudinis tuæ: ut mecum sit, & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.* Aurea, & flexanima est oratio: eam tu quoq́; usurpa, tunc potissimùm, cùm res dubiæ, & intricatæ inciderint. Ita Salomonis quoq́; parens David factitabat. nam cum difficilia, & obscura contingerent, adibat sacra templi adyta, atq́; ad aram Divinæ Majestatis supplex ex propiatorio divina responsa deposcebat.

Hoc primum; ut sapiens brevi evadas:

das: alterum illud erit; ut quoniam homines Deus per homines erudit (ideò enim Paulum, cùm ex eo quæreret, *Domine, quid me vis facere*, ad Ananiam remisit) consilia expete à viris eruditis, & prudentibus, à quibus nullo negotio edíscas sapere, quod sibi illi magno sudore compararunt. Et quoniam non semper sunt ad manum vivi, quos consulas, age frequenter cum mortuis, virorum, inquam, eruditorum, post mortem superstitum libros oculis, & manibus tere, ex quorum lucernis lumen accipias. Ita ferunt Alphonsum Aragoniæ Regem à familiari deprehensum, cum librum identidem manu pulsaret, rogatum verò cur id faceret, respondisse, ex mortuo sana consilia se sciscitari: neque eum pudebat, etsi sapientissimus esset, ex illis discere, si quæ nesciret. Et vivos quidem habere poteris, si non præsentes & coràm, quos saltem scriptis literis adeas, neque deerunt fortè, è vicinia aliqui te sapientiores, & subinde qui te adeant, & quos audias. Sin minus, habe domi libros, quæ tibi præcipua sit supellex,

eorumque lectioni incumbe, id Timotheum licet Episcopum, atque Doctorem monet Apostolus, *Attende*, inquit, *tibi*, *& doctrinæ*, *insta in illis : hoc enim faciens*, *& te ipsum salvum facies*, *& eos*, *qui te audiunt*. Sed tu fortassis in eo errore versaris, in quo non pauci, qui sicut nautæ, cùm in portum se appulisse putent, aut somnient, funes solvunt, vela contrahunt, anchoras figunt: ita nonnulli cùm in Academijs, scholis, seminarijsque, velut in navigatione studia, librosque tractârint; jam parochiam, quasi portum, quò tendebant, assecuti, studia remittunt, & lacertos; nihilque agunt, aut alia potiùs, quàm ut sese exercendo perficiant. Atqui conciones jam habendæ ad populum, fides rudibus explicanda, in adultioribus firmanda, contra hæreticos propugnanda; exstirpanda vitia, virtutes inserendæ: hæc profectò non vulgarem eruditionem desiderant. itaque bibliorum volumina evolvenda, ingens opus, legendi interpretes, magnus labor, casus conscientiæ explicandi, labyrinthus est, controversiæ pertractandæ, difficile studium

dium, Jus Canonicum consulendum & SS. Patres interrogandi, vastum mare.

At, inquies, unde mihi locus, & tempus suppetunt, ut in istud me pistrinum compingas; unde sumptus, ut mihi tam locupletem librorum supellectilem comparem? Primò locus est Museum tuum, quamvis angustum. Temporis sat erit, si otium fugias, si superfluo somno, si inanibus negotijs aliquid subtrahas: sumptus abundè suppetent, si alibi, ubi opus non est, minuas. Neque peto, ut Alexandriam, aut Vaticanam bibliothecam instruas. Pauci sufficient libri, si selegeris, qui ad rem tuam facient. Sacram Scripturam, quam S. Ambrosius librum Sacerdotalem, S. Dyonisius substantiam Sacerdotum appellant, facilè comparabis, unum præterea, & alterum bibliorum interpretem, aut Cornelium à Lapide, aut breviorem Commentatorem Sa, & Mariani: ad conciones accommodatas populo faciet plurimùm Matthias Faber: controversias expediet Becanus; Casus conscientiæ Layman, aut brevior Biensfeldius, aut Toletus, aut Bassæus &

 nuper

nuper editum Antverpiæ Compendium Dianæ. Ad multa utilis erit Jacobus Marchantius, & Ioannes Baptista Possevinus. Concilium Tridentinum cum librorum prohibitorum indice non ultimum locum teneat, & ejusdem Concilij Catechismus. Iuverit etiam Catechismus historialis Antonij Dauroutij. Ac, ne te negligas, libri in promptu & manibus sint aliqui spirituales, Thomas à Kempis, Meditationes de Ponte, Opuscula Drexelij. Finio cum epilogo Thomæ Campensis. *Ecclesiasticus sine libris quasi miles sine armis, equus sine frænis, navis sine remis, scriptor sine pennis, avis siue alis, sutor sine subulis, faber sine malleo, sartor sine acu, viator sine baculo.*

NUM. III.

Vigilantia.

PArs prudentiæ vigilantia: uti hæc ad superandos hostes, victoriamque reportandam in ducibus belli plurimùm valet, cunctatio verò, aut somnolentia plurimùm officit: ita in animarum negotio vigil cura, opportunitas

tunitas captata, & arrepta occaſio maximè ad rem faciunt: utque militiæ Præfectos dies, noctesque vigilias agere, & excubare oportet, ne ex inſidijs hoſtes aggrediantur: ita multò etiam magis, Rectoribus animarum invigilandum, ne Tartarei prædones involent. Et (ut dicamus iſtud è re accommodatiùs) uti Paſtores ovium vigilare debent ſuper gregem, ne lupi, qui perpetuò prædæ inhiant, in oviculam, præſertim exgregem, irruant: ita animarum Paſtoribus agendum, eoque magis, quòd animarum lupi ovinam pellem plerumque induant: ut incautos cautiùs fallant, ac vorent. Hoc propè eôdem pertinet, ſpeculatorem te eſſe oportet, qui in altiori loco poſitus attendas, ſi quis orthodoxæ doctrinæ, vel bonorum morum hoſtis irrumpat: ut veluti ad arma, & incendium clames, &, quo poteris modo, malum depellas, alioqui ſcis quid ſupremus Paſtor minetur, *ſanguinem eius* (qui perierit) *de manu tua requiram.*

NUM. IV.

Diligentia.

PArs altera prudentiæ eſt diligentia, ſedulitas, maturatio. Negligere, & lentiùs, quàm par ſit, agere, aut cunctari multùm in bellis, & civilibus negotijs nocumenti quid adfert: plus in curâ animarũ: occaſiones hîc neglectæ, aut non arreptæ, quæruntur deinde cum lachrymis: ſed iam fruſtrà; cùm aufugerint, non redeunt. Scribit S. Gregorius l. 1. dial. c. 12. rem miram de Severo vitæ admirabilis, Eccleſiæ B. V. ſacerdote, quam hiſtoriam ijſdem propè verbis ſubijcio. Sacerdotem illum quidam Paterfamilias, cùm ad extremum veniſſet diem, miſſis nuncijs rogarat: ut ad ſe quantociùs veniret: inopinatò verò contigit: ut Sacerdos ad putandam vitem eſſet occupatus, atque ad ſe venientibus diceret: antecedite, ecce ſubſequor; cùmque videret ſibi in eodem opere parùm ſupereſſe, paululùm moram fecit: ut opus, quod minimum reſtabat, expleret: quo expleto cæpit ad ægrum pergere. Eunti verò in

itinere

itinere occurrentes, qui priùs venerant, Pater, inquiunt, quare tardaſti? noli fatigari, quia iam defunctus eſt: quo audito ille contremuit, & magnis vocibus ſe interfectorem illius clamare cœpit: flens itaque pervenit ad corpus defuncti, ſeque coram lecto illius cum lachrimis in terram dedit, cùmque caput tunderet, ſeque reum mortis illius clamaret, repente is, qui defunctus fuerat, animum recepit, ſignificavitque ijs, qui attoniti aderant, ſe à tetris hominibus, ex quorum ore, & naribus intolerabiles ignes exundabant, per obſcura loca deductum, donec accurrens pulcherrimus Juvenis juſſit reduci: quòd Severi Presbyteri lachrymis DEus illum vitæ, & ſaluti redonaſſet: igitur vitæ redditus, cùm ſeptem diebus pœnitentiam egiſſet, octavo die, tum ſcilicet rite expiatus, iterum vivere deſijt. Pauciſſimi, ô mi Neo-Paroche, ſic redeunt, pauciores reperias Severos, qui lachrymis id ſuis impetrent. Et eheu! unius morulæ ſpatio quantæ res intervertuntur? antequàm ille de vite ſurculum putaret, mors vitam iſti amputat,

neque hîc te iuvat iſtud *nonputabam*: putare enim debueras: hinc illæ lachrymæ; illius ſum interfector, reus mortis. Quid fiet, ſi qui ad baptizandos infantes, aut abſolvendos infirmos vocati, hærerent non in vineâ; ſed tabernâ vinariâ, tergiverſarentur, cunctarentur, procraſtinarent? mortuum fortè revocare non poterunt ab inferis; ſed ſequi poſſunt: non fit, inquis, ſed ſi fieret?

CAPUT IV.

Sit cultus divini ſtudioſus.

NUM. I.

Hoc ſtudium ad Parochos maximè pertinet.

PIetas, ſive Religio virtutibus Theologicis proxima, Moralium facilè princeps, veri numinis cultum reſpicit, & ritè procurat. Eſt quidem ea virtus, (ut ſunt quæque cuique ætati ſuæ) propria Adoleſcentiæ: ſed tamen in adoleſcentibus in floſculos ferè tantùm ſe induit, fructus necdum profert, ſaltem decoctos; creſcente ætate creſcere, roborari, & ad maturitatem

turitatem perduci debet: debet autem maximè in ijs, qui rerum ſacrarum, & animarum curam ſibi propriam ſumunt: hi enim ſancta ſanctè tractare, & religionem procurare tenentur ex officio: atque ad hoc munus, ſacris ſunt ordinibus initiati. Itaque ſacrilegium erit, ſi perfunctoriè, ſi oſcitanter, & neglectim, ſi impie res divinas attrectent.

NUM. II.

Quibus rebus in ſe ipſis pietatem excolere debeant.

MUlta circa Religionis munia præſcribenda eſſent, quæ paucis complectar: ne longiùs excurram. Primùm tu te ipſum ad pietatem exerce, manè ſub auroram, priuſquàm te cura gregis, & negotia avocent, tecum, & cum Deo age, & ad conſuetas precatiunculas meditatiunculæ rerum divinarum pauxillum temporis tribue: compendium iſtud diei erit, non diſpendium, materiam meditandi in dies ſingulos abundè ſuppeditabit ſummarium meditationum Ludovici de Ponte, aut Buſæi conſcriptus de eo argumento libellus.

Veſperi ad reliquas preces concede aliquid examini conſcientiæ, & diei exactæ rationem accuratè à te exige, præſertim circa defectus in curâ paſtorali commiſſos, & ex certâ formulâ actum amoris Dei ſuper omnia, & perfectæ contritionis elice: iuvat id plurimùm contra repentinos noctium, & mortium caſus.

Nocturnum, diurnumque Officium, quia quotidianum penſum eſt, & officium tuum, exactè perſolve: multum in eo recitando peccatur, ſi nimis properanter, ſi detruncando, vel mente alienà, ſi indecenti corporis ſitu, aut loco, aut tempore: ſi non integrè: quo in genere maximè cavendum, ne ex culpâ partem notabilem negligas: periculum autem maius eſt, cùm itinera longiora ſuſcipiuntur, dum convivijs indulgetur, dum negotia, quæ temporis multum decerpunt, actitantur, ideò Parochis occupatioribus conſultius erit, ſi impedimen a prævideant (& ferè inopinatò plurima accidunt) ut, quod licet, vel pridie ad veſperum, matutinum & laudes recitent, vel ſe-

quenti

quenti die maturè ante omnia majorem Officij divini partem, aut totum exſolvant, ſi poſteà ſe impediendos advertant. Sacra Confeſſione non dico labes, quod magis neceſſarium eſt, ſed etiam labeculas, quod conſilij eſt, ſæpe expia, quô purior ſacrifices. Sacerdotes Moſaici ſacra tractaturi, quotidie lavabant, quam in rem proſtabat vas æneum ex mulierum ſpeculis: ut curiosè vel minimas labeculas inſpicerent, eluerentque: quàm æquius eſt te facere, qui diviniora tractas? Audi Auguſtinum in Pſal: 99. *Semper confitere, quia ſemper habes, quod confitearis: difficile enim eſt in hac vitâ: ut ſic homo mundetur, ut nihil inveniatur in eo, quod reprehendatur.* Vide pro exemplo Elephantem,

Quotidie ſurgens viuo ſe perluit amne,
Ut ſolis radios orientis purus adoret.

NUM. III.

Miniſteria ſacra ritè peragenda.

NUnc ad miniſteria ſacra attendamus, Obeunda tibi illa ſunt: animum recollige, quæ agenda erunt reverenter, exactè, & ritè pertracta: Quæ voce promenda, diſtinctè, & cum pietatis ſenſu

pronuncientur, præſertim in Sacrificio, & adminiſtratione Sacramentorum: id poſtulat rerum ipſarum dignitas, & ædificatio præſentium, qui offenduntur alioqui, ſi irreligiosè vident peragi Sacra à Sacerdotibus, neque credunt res ſacras eſſe, quæ indignè à miniſtris tractantur. Cavendum tamen ne nimiâ religione quid in hoc genere pecces: ut ſi affectes modulatam, aut nimiùm compoſitam pronunciationem, ſi geſtiunculis quaſi Comicum agas, ſi longâ cunctatione faſtidium, & nauſeam alijs crees: moderatio enim etiam in Sacris adhibenda.

NUM. IV.

Decor, & decorum in templo.

POrrò ædem ſacram ſubeamus: hîc enim locus præcipue religioni, & cultui Divino ſacer eſt; Deus non tantùm intentos habet oculos, & aures in locum iſtum: ſed Chriſtus ipſe in Euchariſtiâ præſens eſt, aſſiſtuntque è cœleſti curiâ Angelicæ mentes ſupremo ſuo, tuoque Principi: quare tibi ſacrorum miniſtro incum-

incumbit: ut templo, quam basilicam, id est, regiam Græci vocant, accurentur, quæ ad ipsius dignitatem, splendorémque spectant: quo in genere multa tibi præscribuntur: ut templi sarta tecta serventur, parietes, & pavimentum ab aranearum telis, & sordibus expurgentur, &, si fieri potest, niteant; altaria integra sint, & decenter ornata, religiosè, & quâ decet reverentiâ Venerabile Sacramentum, & Sacrum Chrisma, Aqua baptismalis, Oleumque infirmorum suis locis asserventur; sacra supellex, & vasa, præsertim, quæ altari, & sacrificio consecrantur, si non splendeant; saltem munda sint; vestes denique Sacerdotales puræ, neque obsoletæ.

In templis nostris aurum, argentum, gemmæ, tapetia pretiosa, & eximiæ artis, ornamenta vero æquè pretio, atque arte exquisita. Attalicæ denique opes decerent sanè magis, quàm in aulis Principum, Regum, Cæsarum: sed à te Neo-Parocho summa non exigo: istud velim; ut curare saltem decorem illum velis, quem in Nepotiano laudat Hieronymus:

ronymus: Erat, ait, sollicitus, si niterent altaria, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes ceremonias pia solicitudo disposita. Possumus & de illo dicere, qui basilicam Ecclesiæ, & Martyrij conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrarit: ut quidquid placeret in Ecclesiâ tam dispositione, quàm visu, Presbyteri studium, & laborem testaretur: ita ille.

Verùm lachrymas hîc mihi erumpere sentio, sive doloris, & pudoris, propter prophanatam rerum sacrarum tractationem; sive iustæ indignationis (habet enim etiam ira suas lachrymas, cùm se ulcisci non potest) ob nonnullorum propè etiam mihi oculato testi perspectam in rerum divinarum violatione impietatem. Alicubi, ruri præsertim, tecta perpluunt, parietes non modò aranearum telis obtenduntur, sed squalent, & propemodum imbre pluvio suffodiuntur, denudantur altaria, aut vix vili linteo obteguntur; pavimenta luto opplentur,

plentur, Sacerdotum veſtes aut fœdè detritæ viſuntur, aut laceræ; corporalia, purificatoria, patinæ, calices, quæ Christi Corpus, & Sangvinem vel continent, vel contingunt; inexpiando ſcelere, non ſordeſcunt modò: ſed nonnunquam ſordent. Pudet dicere, & narrare horreo: interim domus Paſtoris, non tuguria, & nonnullorum oppidanorum etiam viles caſæ, cùm nundinæ, aut conviualia feſta aguntur, nitent, menſæ ſplendent, ſupellex renidet, Dominus pagi, aut arcis bibit argento, ſi non auro, & gemmeis conchis, certè è ſplendido vitro, aut chryſtallino cyatho, adhibentur ſtrophiola ad nares, & manus detergendas; in menſis mappæ, & mantilia maioris operæ, atque ſumptus; quàm quæ ſerviunt templo, & altaribus: fleret David rex, ſi viveret, atque iſta ſpectaret, qui olim quando de templo veteris legis, ſacrificijs ac ritibus ædificando cum Nathan agebat, *Videſne, inquit, quòd ego habitem in domo cedrinâ, & arca Domini poſita ſit in medio pellium?* Iam quid ſi Aggæus Propheta noſtra ſpectaret; nonne æquiùs, quàm in Judæos excan-

excandefceret? *Nunquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Domus mea deserta, & vos festinatis unusquisque in domum suam: propter hoc prohibiti sunt vobis cæli: ut darent rorem, & terra germen suum.* O dolor! nam noſtrum hic ulcus impacto ungve tangitur: qui ſtudioſiùs indagant cauſas calamitatum, quas hæreſes, & per illas bella funeſtiſſima iam tot annis in Europam invexere: obſervant malorum initia à templorum, rerumque ſacrarum incuriâ, & ſacrilego neglectu cœpiſſe, eaſque pœnas, quæ ſecutæ ſunt, divinitus immiſſas fuiſſe, ob prophanatam templorum, altariumque religionem: quæ res animos inceſſit, atque impulit eorum, qui cum hæreſeon impietatem profligare laborarent, pulſamque preſſamque religionem revocare vellent, eò ſtudia ſua verterunt: ut ſuis redderetur templis, rebuſque ſacris honos, ornatus, decor. Huc & tu, mi Neo-Paroche, ſtudium convertes, Salomonis, Davidis, Conſtantini, aliorumque, quibus ea cura cordi fuit, exemplo: ut, cùm oras, ex corde proferre poſſis illud

illud Regij Psalmistæ, *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Profectò si dilexeris, facies; amor enim efficax est, efficies autem apud Episcopum, Dominum loci, Parochianos non nihil opulentiores, & tu ex rebus tuis pro modulo tuo: neque enim plus aut ratio, aut Deus ipse exigit: tantùm ne negligas, imò ut efficias, quantum potes, stude: non modò hæc res Deo honorem, rebusque sacris venerationem: sed etiam tibi ingentem meritorum segetem, populo eximium devotionis fructum adferet.

CAPUT VII.

Sit denique zelo divinæ gloriæ, & salutis animarum ardens.

NUM. I.

Quid zelus, & quotuplex?

ZElus amor est animi rei cuiuspiam consequendæ desiderio, & studio ardentis, odio rei contrariæ deflagrantis. Ignis est validissimum in alia, sui impotentissimum elementum; obvia quæque ambit, lambit, carpit, edit, vorat:

rat: si nihil assequitur, quod appetit, petitque: se ipsum depascitur, atque exedit.

Verùm non omnis zelus virtuti, aut laudi vertitur. Optimus ille, qui zelus est divinæ gloriæ, & salutis animarum, quanqnam hæc vix distingui possunt: Quippe cùm ad divinam gloriam referatur animarum salus, qui divinæ gloriæ est vehementer ardens, idem animarum salute flagret, necessum est. Itaque, qui harum duarum rerum zelo incensus est, nihil non cogitat, nihil non loquitur, nihil non agit, quo Dei honorem, & salutem aliorum impatienter, impotenterque procuret; ea verò, quæ adversantur, aut sunt inimica, hostiliter persequitur, neque cessat, quin in se convertat, nisi verò assequatur, languet, contabescit, & se depascendo extinguitur.

NUM. II.

Exempla.

COgita tu hîc mihi ex multis sancto zelo inflammatis, ex quibus erumpunt hæ flammæ, Ieremias, Davides, Paulos. *Factus est in corde meo, quasi ignis exæstuans;*

æstuans; audivi enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu. Tabescere me fecit zelus meus: vidi prævaricantes, & tabescebam. Vide iam ex illo igne liquescentes lachrymas: *exitus*, id est, lachrymarum fontes, *deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Moysén sileo. dic quæso, quis & qualis est Paulus? Evolve Epistolas: ardent, singulæ sententiæ non ignes sunt, aut flammæ; sed incendia. Præterea vide Pauli sectatores Chrysostomum, Ambrosium, tres Gregorios, & recentioris memoriæ Carolum Borromæum. Hoc scilicet verè, & proprie Pastoritium, zelare Domini gloriam, & animas: ac te quidem, mi Neo-Paroche, adhuc, ut omnia initia solent, fervere arbitror: verùm si te cum summis illis viris conferas, tepidus es, ne dicam frigidus: suggeram igitur quasi malleolos, & faces; quibus te vehementiùs incendam.

NUM. III.

Incentiva.

PRimùm expende suis momentis munus, quod suscepisti. Pastor es; pastoris

ſtoris eſt vigilare, excubare, è ſpeculâ omnia circumſpicere, ne quà vel clam, vel apertè irruant lupi Tartarei, qui perpetuò prædæ inhiant: vi obſiſtendum, ne gregem impetant; extrahendum ex ipſis faucibus, ſi oviculam rapuerint, etiam ſi opus eſt, occumbendum: ita vigilabant, ita pugnabant Jacob, & David paſtores, *Die noctuque*, ait ille, *æſtu urebar, & gelu; ſomnusque fugiebat ab oculis meis*. Et alter, *Paſcebat*, inquit Sauli, *ſervus tuus patris ſui gregem: & veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.* Agnoſce officium boni paſtoris, graphicè deſcribit illud Ezechiel c. 34. *Quod infirmum in grege eſt, conſolidare, quod ægrotum ſanare, quod confractum alligare, quod abiectum reducere, quod perierat, quærere.* Hoc princeps paſtorum Chriſtus fecit: verè bonus paſtor, qui etiam animam poſuit pro ovibus ſuis: ſupparia munus, quod ſuſcepiſti, à te exigit; atqui

atqui ad iſta animis opus eſt non remiſſis, aut tepidis: ſed acribus, atque vehementer incenſis.

Præterea incendere te debet operis ſuſcepti magnitudo, & præſtantia. S. Gregorius *nullum omnipotenti DEO par eſſe ſacrificium zelo animarum* pronunciat, affirmat S. Chryſ. quamvis perpetuum cum corpore bellum ineas, quantumvis jejunia producas, humi cubes, opes in egenos profuderis, his omnibus vel unum ſalutis alienæ zelum gratiorem eſſe: ſed nihil ad commendationem, laudemque præſtantiùs, quàm quòd, velut ex oraculo, effatus eſt S. Dyoniſius, *omnium divinorum operum diviniſſimum eſſe, cooperari DEO in ſalutem animarum.* Et ſanè quid poteſt eſſe diviniùs, quàm cum Paulo gloriari in Domino poſſe, *Chriſti factus ſum ego miniſter, qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, cuius factus ſum ego miniſter.* Valet præterea ad ignem illum in te excitandum dignitas, & pretium unius animæ, quam DEUS tanti

tanti æstimat; ut Pater æternus non dubitarit Filium unigenitum dare, neque Filius detrectarit seipsum tradere crudelissimæ, & ignominiosissimæ morti: ut animas redimeret. *Redempti enim sumus non corruptibilibus auro & argento; sed sanguine Filii Dei; & quidem ad ultimam unciam profuso:* nam ideò aperiri sibi mortuo cordis latus voluit, ut si quæ gutta superesset, effunderetur. Neque ardentissimum hunc zelum frigida mors extinxit. Etiamnum in cœlo salutis nostræ zelo ardet, etiamnum iterum iterumque promptus, si opus foret, eosdem cruciatus subire, eandem in cruce mortem obire animarum causâ, idque in clarissimâ visione Carpo olim demonstravit: ut Sanctus Dyonisius scripsit epistolâ ad Demophilum.

Denique cogita præmium, quod post hanc vitam manet eos, qui animas ab inferis extractas cœlo adscribunt; *fulgebunt illi* ex Danielis vaticinio, *tanquam stellæ in perpetuas æternitates*, quæ Aureola est eorum, qui alios ad justitiam erudiunt; & quantum putas fore gaudium, cùm eos in gloriâ cœlesti triumphantes conspicient,

ſpicient, quos ipſi ſuo ſtudio, atque operâ è vitijs ad virtutes traductos ad eam meritorum ſegetem, meritique lauream triumphi provexerunt? Lætabuntur profectò coram DEO, *Sicut qui lætantur in meſſe; ſicut exultant victores captâ prædâ?* Verùm quid his diutiùs immoror: Quia ingeſſi malleolos, & faces; incentiua hæc ſufficiunt, etſi fortè ſis marmore, & chalybe frigidior; nam etiam hæc admotis ignibus incaleſcunt.

INSTITUTIONUM PASTORALIUM PARS II.

Circa Sacramentorum administrationem.

Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei: hic jam quæritur inter dispensatores: ut fidelis quis inveniatur, 1. ad Cor. 4.

CAPUT I.

De obligatione Administrandi, & Residendi: item quædam generaliora principia administrationis Sacramentorum.

NUM. I.

Obligatio administrandi.

PArtim ex officio ipso, partim divino jure teneris gregem tuum pascere exemplo, verbo; maximè autem Sacramentis, quæ obligatio, utpote de re magnâ, de se gravis est, & nonnunquam cum vitæ tuæ periculo. Quapropter ne tu saltem tuis partibus desis; subinde, præsertim initio suscepti muneris, populum publicè moneas: te quidem

quidem promptum, ac facilem fore; ut ſacramenta adminiſtres: caveant ipſi, ne vocare negligant, præſertim in morbis, & tunc quidem, quantum fieri poteſt, tempeſtivè: tanti hoc eſſe, quanti eſt æterna ſalus. Et quoniam mortalibus ſæpe caſus repentini accidunt, hortaberis: ut præter annuam confeſſionem, & communionem in Paſchate, & mortis periculo, ſæpiùs intra annum, diebus ſaltem ſolennioribus, Sacramenta uſurpent. Quòd ſi moniti, ne quidem cùm tenentur; ſuſcipiant: ipſe per te vel alium, ut non negligant, urgebis, ſaltem ex lege charitatis, quâ etiam alij intelligant ſe teneri.

Cavebis autem, cùm petuntur Sacramenta, etiamſi à ſanis; ne moroſus ſis, aut ſine rationabili causâ neges: nam tergiverſatio iſta, & moroſitas, multò etiam magis repulſa, plurimùm ab uſu rerum ſacrarum avertit, damnum verò maius accidit, & nonnunquam irreparabile, quando pro infirmis petuntur.

Sed tamen alter hîc ſcopulus tibi vitandus, ne des ſanctum canibus, ne inquam, adminiſtres incapaci, vel indigno.

Incapax est præterquàm baptismi, quis-quis nunquam rationis usum habuit, & ad reliqua Sacramenta, qui necdum baptizatus est. Ad Sacramenta vivorum, qualia sunt Confirmatio, Eucharistia, extrema Unctio, & Matrimonium; indignus est, qui accedit cum conscientia peccati adhuc mortalis: aut peccator; qui ad Sacramenta mortuorum, baptismum scilicet, & pœnitentiam sine attritione, se ingerit.

NUM. II.

De requisitis in ministro.

Cùm gregem pascere actus quidam sit jurisdictionis, solis tuis Parochianis Sacramenta administres non alijs absque licentiâ proprij pastoris, vel superioris ipsius, quæ facultas in alienos concessa censetur in casu necessitatis: sine jurisdictione enim semper illicitè id usurpatur, imò in Sacramento pœnitentiæ etiam inualidè, hîc enim forma judicialis exercetur, quæ jurisdictionem requirit. A venialibus tamen, & mortalibus semel ritè absolutis quibuscunque licitè

& vali

& validè absolves, quia id Ecclesiæ usus concessit.

Præterea Sacramentum aliquod administraturus concipe in animo intentionem illud conferendi juxta Institutionem Christi, aut intentionem Ecclesiæ: id enim etiam necessarium est; & licet parochis non facile desit intentio, saltem implicita, & virtualis: consultiùs tamen est excitare actualem intentionem, & devotionem cum brevi aliqua oratiunculâ, quantum tempus patitur, præsertim antequam Confessiones audias.

Ad hæc caue maximè, ne unquam peccati mortalis conscius Sacramenta, quibus administrandis sacris ordinibus es initiatus, administres: ingens enim hoc piaculum foret. Quare priùs confiteare, aut saltem contritionem elice. Singulare tamen est ex præcepto Tridentini, ut ante sacrificium propter sumendæ Eucharistiæ dignitatem, confessionem præmittas, si potes, & conscius sis peccati mortalis.

NUM. III.

De materiâ, formâ, ceremonijs.

IN unoquoq́ue Sacramento materiam & formâm adhibe certam, quoad fieri potest: Si certam nequis, saltem probabilem: si neque hæc suppetit, adhibe dubiam, sub conditione tamen, ut minimùm animo retentà. Quod si deinde aliquid certius nancisci possis, eo utere sub hac conditione, si prius non valuit; quod maximè locum habet in baptismo, & in pœnitentiâ moribundorum, propter maximam necessitatem.

Deniq́ue ceremonias præscriptas in libro Rituali, de quâ re paulò pòst, ritè observa, etiam si ad valorem non requirerentur; obligant enim, & quidem graviter, si notabiliter faciunt vel ad dignitatem Sacramenti, vel populi instructionem; neq́ue ratio ab ijs adhibendis hîc, & nunc excuset. Quare ex Rituali lege, quæ legenda sunt, distinctè, clarè, devotè, ne memoria fallat: quæ verò agenda sunt, etiam decorè, ne assistentes offendas. Habitus sit decens, & Sacerdotalis: Locus com-

communiter ſacer. Si Sacramentum aliò deferendum, id age reverenter: indecora eſt nimia feſtinatio, ſi tamen neceſſitas urgeat, quantum opus eſt, non tantùm curre, ſed vola, cum Euchariſtiâ feſtinandum lentiùs in publico; nunquam autem opinor incidet tantæ feſtinationis cauſa, ut non liceat veſtem clericalem ſaltem inijcere, ne ut ſeminudus, vel ſemifatuus prodire debeas: ſi quem ex urgenti maturatione offendi adverteres, cauſas ede, ut mirari deſinat.

NUM. IV.

De Stolâ, ſive Stipendio ob Sacramenti adminiſtrationem.

QUibuſdam in locis vetatur, ne ob Sacramenti adminiſtrationem aliquid directè, vel indirectè exigatur, ad tollendam Simoniacæ labis, vel ſaltem avaritiæ ſuſpicionem. Alicubi iſtud permittitur, quantum ſcilicet vel lege, vel conſuetudine taxatum eſt, (ſtolam aliqui vocant.) Tu ſi eo loco ſis, quia licitum, modò iuſtum, recipere poteris: ſed exigere ante miniſterium, ſordes olet:

imò etiam operâ præstitâ altercari contentiose ad extorquendam solutionem, turpiculum est: convenientiùs deferes ad tribunal Episcopi eum, qui soluere recusaret pertinaciter; cùm solvendo sit: à pauperibus oblatum etiam respue, iis gratis dandum, quod gratis accepisti. Decet nonnunquam mediocris fortunæ hominibus aliquid remittere, præsertim pro Sacramento necessitatis, si commodè pretium conficere non possint pro operâ; neque ea liberalitas propterea præiudicium adferet successori. Si nonnunquam ditiores supra consuetum offerant, acceptare potes, modò sponte suâ donent.

NUM. V.

De Residentiâ.

Ex dictâ obligatione administrandi sequitur habentem beneficium curatum teneri ad Residentiam; quod etiam præcipit Tridentinum, & quidem personalem: id enim pastorale officium exigit; ut cuique, & quovis tempore sit quasi ad manum, cùm parochiani, præsertim

ſertim infirmi, Sacramenta petent: ſæpè enim parua abſentiæ mora æternùm nocuit. Quare conſultò ages, ſi domo exiens, præſertim longiuſculè, licet intra parochiam, domeſticos moneas, ubinam reperiendus ſis, quando res urgeret; ut miſſo nuntio, vel ſigno certo campanæ euocari poſſis. Extra verò parochiam ne pedem efferas facilè, niſi Sacerdotem habeas domi, aut Religioſum, aut aliquem alium in viciniâ, ad quem ſciant ſe poſſe recurrere, ſi quid repentinum occurrat. Imò etſi ejuſmodi habeant, tamen ſine causâ ſaltem ad dies aliquot ne excurras, niſi quando, & quomodo tibi eſt conceſſum. Concedit autem tibi Tridentinum annis ſingulis duos menſes abſentiæ continuos, vel interpolatos modò ſubſtituas tuo loco aliquem ab Epiſcopo approbatum, & ab eodem cauſa approbetur. Conſuetudo præterea permittit, ut abſis, idoneo ſimiliter ſubſtituto, ſi urgeat utilitas magna Eccleſiæ, vel Reipublicæ, vel tuum alioqui grave incommodum, vel obedientia Superioribus debita, vel ſimilis cauſa gravis,

neque possis ad Episcopum recurrere pro licentiâ. Quòd si ultra tempus concessum à Tridentino protrahas, præter peccatum, & pœnam extraordinariam Episcopi, amittis ipso facto fructus beneficij pro ratâ temporis applicandos fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci, ante omnem condemnationem judicis. Quod quomodo explicandum sit, consules autores, neque enim vacat his immorari.

NUM. VI.

Primum principium generale administrationis totius curæ Pastoralis.

Quæ in libro rituali pro Sacramentis, alijsque pastoralibus functionibus perscribuntur, exactè observato.

PRæcipit Apostolus, ut in Ecclesiâ DEi omnia honestè, & secundum ordinem fiant, idque ratio, & virtus religionis docent: Ut uniformitas autem sit non modò in rebus credendis; sed etiam quantum fieri potest, in ritibus, & ceremonijs sacris, præsertim in tractatione Sacramentorum, providendum

fuit.

fuit. Hinc Paulus Papa V. per Cardinales pietate, doctrinâ, & prudentiâ eximios, adhibitis quoque eruditis alijs viris, & consultis tum veteribus, tum ijs, quæ circumferebantur, rituum libris, Rituale edidit Romanum, omnesque, ad quos spectaret, nominatim Parochos, hortatus est: ut imposterum tanquam Ecclesiæ Romanæ filij eo Rituali eiusdem Ecclesiæ omnium matris, & magistræ autoritate edito in sacris functionibus uterentur. Sed hortatus est tantùm Pontifex: non præcipit, ut opinor, eam ob causam, quòd locorum omnium diversitas non permittat ubique eadem omninò præcipi, præsertim in solemnitate publicâ Sacramentorum, quòd quibusdam in partibus à primis Christianæ religionis initijs instituti quidam ritus sine gravi offensione populi non viderentur aboleri potuisse: maluit igitur supremus sacrorum Antistes relinquere Episcoporum prudentiæ: ut ipsi, quod satius esset, pro suis Diœcesib⁹ statuerent. Ita pridem Ioannes Hanchinus Archiepiscopus Mechliniensis, ac deinde Matthias Hovius successor Pastorale ad usum Roma-

num accommodatum edidêre, idque conformiter decreto Patrum quartæ Synodi, quæ voluit, ut Parochis à Sacerdote, scilicet Episcopo, Officialis liber traderetur, unde Pastoralium officiorum normam rationemque acciperent, & sequerentur. Eodem modo simile Pastorale prodijt, quod Passaviense appellant, Reverendissimi & Serenissimi Leopoldi Episcopi jussu, & authoritate editum; sicut & Petri Pasmani Cardinalis Archiepiscopi Strigoniensis recentius, quod Rituale Strigoniense appellatur. Extabat quoque olim, Agendarium Salisburgense ab annis facile 70. Ioannis Iacobi Archiepiscopi jussu editum, itemque Manuale Parochorum, ijsque uti jubentur Parochi in administratione Sacramentorum, alijsque Ecclesiasticis muneribus obeundis, idque sub grauibus pœnis, quod audio esse correctum alio substituto. Igitur, mi Neo-Paroche, quamprimùm curam susceperis, fac intelligas quodnam pro totâ Diœcesi Rituale ab Episcopo præscriptum sit, Romanumne commune, an aliquod Diœcesi proprium,

um, & quodcunque præscriptum fuerit, ad unguem obserua.

NUM. VII.

Principium generale secundum.

Consuetudines quoque circa rerum sacrarum tractationem in tuâ Parochiâ usurpatas, si adhuc vigent, retineto.

Fit subinde; ut præter ceremonias statas, & in Rituali præscriptas, nonnullæ consuetudines in rebus ad munus Parochiale pertinentibus usurpentur: eas tu, si honestæ, & probæ sint, & adhuc vigeant, noli propriâ autoritate abolere: vim enim legis obtinent. Quòd si tamen nonnullæ (ut fit nonnunquam) vel superstitionem, vel mali speciem præseferrent; vel quibus populus abuteretur, cùm id habueris bene perspectum, seriò mone populum de abusu, si nihil proficis per te, aut alios; tandem refer rem ad Episcopum, & exequere, quod iusserit. Huc etiam illud pertinet, ne tu novas leges, aut consuetudines inducas quovis pietatis prætextu: cujusmodi essent stata

populi jejunia, vacatio à diurnis laboribus, publicæ Processiones extraordinariæ, &c. Tum quia novitates in communitate odiosæ esse solent, tum quia propriè spectant ista ad Episcopos.

NUM. VIII.

Tertium principium generale.

Ubi res anxiæ inciderint, quæ tuum munus attingunt, néque libri Rituales, aut Consuetudines resolvunt, ad Episcopum recurrito.

INcidunt non raro res gravioris negotij, ac momenti perplexæ, quibus te ex libris Ritualibus aut Consuetudinibus receptis expedire nequeas: recurre tunc ad Episcopum, sive ipsius in Spiritualibus Vicarium, aut ad Statuta Synodalia; si quæ de ijs rebus extant, & iuxta illa statue: responsa autem conscribe annotato anno, mense, die, quidve exequutus fueris: ut si rationes reddendæ fuerint, habeas, quo te tuearis.

In hoc genere sunt, si quæ reliquiæ de novo exponendæ, aut in dulgentiæ publi-

publicandæ, aut deprædicanda nova miracula, si ædificandum, aut pingendum in Ecclesiâ, antequam Episcopus ideam viderit, & approbarit. Quòd si verò Visitator, aut Commissarius veniat, qui se Apostolicum nominet, & adferat quædam fulminatoria, vel edicta statim exequenda sub excommunicatione, excipies, & habebis benevolè; si nullam fraudem deprehendis: & mox quàm citò fieri potest, monebis Episcopum, si ipsius consensum non habes: interim attende ad literas commissionis, quas ille Apostolicus ostendere debet, & cave, ne quid ultra mandatum, aut facultatem agat.

NUM. IX.

Quartum præceptum generale.

Ubi prædicta non iuvant, in rebus perplexis rationem in consilium advoca.

FIt quoque non rarò, ut res graves, & perplexæ, neque ex Rituali, neque Consuetudine, neque ex Statutis Synodalibus, aut Episcopi rescripto resolvi possint, ergo cum Moyse recurre ad

oraculum, ad preces inquam, & ad Deum, ad Doctores præterea, sive libros Doctorum; aut in consilium aduoca è viciniâ alios Parochos, si qui sint expertiores, quodque iudicaueris rationi magis consentaneum, sequere.

CAPUT II.

Instructiones circa Baptismum, & Confirmationem.

NUM. I.

De necessitate Baptismi, & Curâ illius.

HÆc est janua reliquorum Sacramentorum, sine cujus re vel voto suscepti gratiâ, extra privilegium martyrij nulli salus obtingere potest. Hinc intelligis quanto studio, quavé diligentiâ incumbendum ex officio tibi sit, ne dum es absens, aut cunctaris, aut ex requisitis ad valorem præteris, infans præsertim, tuâ culpâ, æternùm pereat. Quia verò sæpè accidunt repentini casus, quibus ob necessitatem Laici baptizare debeant, populum datâ, captatâque occasione diligenter

ligenter instrues de intentione, materiâ, & formâ, quam expedit magis ut linguâ vernaculâ sciant; monebisque, ut simul eam proferant, cùm aquam corpori ipsi affundunt, neque unus pronunciet, alius abluat: si aqua glaciata sit, liquefaciant, si frigidior, quàm ut infans ob infirmitatem pati queat, nonnihil calefaciant; si benedictam aquam habent, eâ utantur, alioquin alia in necessitate sufficit. Præterea si infans necdum sit ex utero egressus, & tamen periclitetur, caput abluant, sin minus, manum, aut pedem, aut quamcunque aliam partem corporis, si quid ampliùs non possint, cum intentione efficiendi quantum eo casu possunt: sive manu, sive aliquo instrumento, quâvis denique arte aquam admoveant: ita tamen, ut posteà, quid & quomodo circa illum baptismum fecerint, Parocho referant. Hæc verò omnia magis scire debent obstetrices, ideoque priusquam ad munus obstetricandi admittantur, & aliàs subindè; interrogabis an sciant ea, quæ ad ritè baptizandum necessaria sunt; præterea à perito artis examinandæ; & instru-

instruendæ de ijs, quæ ad illam artem pertinent: ut infantes ad baptismum perveniant, plurimum id refert: item, ut quantum fieri potest, Catholicæ sint, & probæ, nam hæreticæ minùs fortè de necessarijs curant; improbæ verò subindè deprehensæ uti maleficijs, aut superstitionibus.

NUM. II.

De matrum scissione.

UT infans utero clausus baptizari possit, mater vivens exscindi non solet, nisi ob culpam eo supplicio dignam. Mortua debet, si fœtus adhuc spiret; constare autem possit matrem exspirasse. Id exploratur; si cordis motus, pulsusué omnis cesset, si halitus planè interclusus. Cessare motum deprehendes vitro aquâ pleno, si cordi superpositum sit, & nihil effundatur: halitum verò defecisse, si plumula ori admota nihil moveatur, aut si nitidum speculum ori applicitum ne hilum quidem inficiatur: eò autem magis mors exploranda, quòd parturientium deliquia subindè diuturniora

niora sint. Porrò infantes in utero non rarò aliquamdiu supervivere matribus Medici docent, & compertum olim in Cæsare, cui nomen ea res fecit, & non pridem in filiolâ Mariæ Augustæ, quæ sectâ matre tanto spatio superfuit; ut Christiana mori posset. An verò in utero supervivat fœtus obstetrices, & peritæ aliæ fœminæ observant ex aliquo motu, quem diligenter explorent.

In toto hoc negotio primò attendendum est, ut moriente matre, clave vel lignello labijs dentibusque objecto, vel simili arte, caveatur, ne proles inclusa suffocetur, quod accidit facilimè: item in promptu adsit Chirurgus probè expertus, & aliquis cum aquâ promptâ, ille ut secet, hic ut baptizet, nam hîc mora mors est. Locus non sit patens vehementi aëri, quem tener fœtus vix patiatur. Denique si de vitâ dubitetur, baptizans conditionem in baptizando apponas, *si vivis*.

Cura quidem, & procuratio sectionis, cùm matre mortuâ putatur superstitem esse fœtum, judicio eorum, qui id nôrunt, explorare propiè pertinet ad pa-

trem

trem domesticos, consanguineos, aut ad alios ex charitatis officio; si adsint: si tamen nemo alius id agat, tibi Parocho ex singulari causâ incumbet: quare, si opus est authoritate Magistratûs, aut commi-natione delationis ad Episcopum, quo-quo modo rem urge, huiusque diligen-tiæ testes adhibe, ut de præstito tuo offi-cio constet. Multa, inquies, mandas; ve-rum est, sed tanti est infanti extrémè pe-riclitanti Parochum non defuisse.

NUM. III.

De partu monstroso.

SI partus provenit ex patre bruto, ma-tre homine, ne baptiza, brutum est, non homo. Si bestia fœmella peperit ex viro, baptiza saltem sub conditione, *si es homo*: quod si duo humana capita, vel hu-mana pectora compareant, primò unum baptiza, & mox alterum: Sed hoc sub conditione, *si duæ adsint animæ.* Verùm in portentosis ejusmodi fœtibus consultiùs est consulere Episcopum, audireque Medicos, si tempus patitur; præsertim si caput, aut pectus non sit humanum. si

res

resurget, & dubium remanet, baptiza; sed sub conditione; *si homo es.*

NUM. IV.

De rebaptizandis à laicis, vel obstetricibus in necessitate baptizatis.

NEminem ritè baptizatum rebaptizes, ne fias sacrilegus, & irregularis; si tamen meritò dubites de valore prioris baptismi, & post diligentem inquisitionem remaneat rationabile dubium aliquid defuisse circa debitam intentionem, materiam aut formam, rebaptizare debes sub hac conditione, *si non es baptizatus.* Deprehensum est, non modò ab alijs rudioribus: sed etiam ab obstetricibus peccari in baptizandis infantibus, quòd multi; quæ necessaria sint, ignorant, quòd nonnullæ instinctu dœmonis, aut quòd res sacras minùs æstiment, in necessarijs errarint: accedit præterea in repentinis illis casibus tanta perturbatio; ut multa tumultuariè, & confusè agantur etiam à peritis, & obstetrices quidem, etsi posteà videant se errasse; mentiri possent

possent Parocho, ne de male acto negotio acriùs reprehendantur. Ob has causas, & exempla, quæ errorem non rarò demonstrârunt; bonorum authorum sententia fecit: ut multis in locis baptizati ab ejusmodi hominibus rebaptizentur sub conditione: idque ut fiat, præscribit pastorale Passaviense, & multi sapienter usurpant, si jam adulti fuerint, fieri poterit privatim, author sum, ut sequaris, nisi de prioris baptismi valore tibi planè constet.

NUM. V.

De pueris expositis.

SImiliter, similesque ob causas pueros ad januam templi, ad hospitale, vel alibi expositos baptiza, nisi de baptismo ritè collato aliunde tibi constiterit: nam plerumque exponunt matres malæ vitæ, & rerum sacrarum ignaræ. Et licet subinde scriptum collo appensum sit hâc formolâ *baptizatus est*, tamen, quia inde non constat, an validè baptismus sit collatus; tutiùs ages, si justam suspicionem aquâ baptismali diluas. Ita filij Christiano-

ſtianorum parentum inter Turcas, aliosué infideles nati, & educati; cùm è captivitate liberantur, niſi ritè baptizatos fuiſſe conſtet, ſub conditione rebaptizantur.

NUM. VI.

De baptizatis ab hæreticis.

Fide quidem conſtat hæreticos validè baptizare, ſi debitam intentionem, materiam, & formam adhibuerint: ſed an adhibuerint hîc & nunc, ſæpè relinquitur incertum: præſertim in locis, ubi Catholici publicam religionis ſuæ profeſſionem non habent. Deprehenſum aliquando nobilium infantes ab hæreticis aquâ roſaceâ baptizari, aliquando aquam ita neglectim aſpergi; ut dubium ſit, an aliquam infantis partem attigerit: miniſtrum alicubi in concione de loco ſuperiori protuliſſe formam, alium è plano infantem abluiſſe. Aliqui Calviniſtæ, cùm teneant ad infantium juſtificationem ſufficere verbum concionatorium, an aquâ tangant, tingantuè, ſcilicet curant: Audivi ex Viro fide digno, fuiſſe ex illis,

illis, qui habitâ concione affunderet aquam, nullâ prolatâ verborum formâ: alium, qui spurios à baptismo repelleret: adeò parum sunt illi soliciti de necessitate huius Sacramenti. Anabaptistæ verò parvulos ne baptizant quidem; quæ rationes monent; ut ab hæreticis baptizati meritò sub conditione rebaptizentur, idque in Belgio usurpant aliqui, & generatim præscribitur in pastorali Archiepiscopatus Mechliniensis: si tamen adulti illi sint, baptismus Episcopo deferri solet. Hoc saltem expedit, ut in baptizatis ab hæretico, etsi constet esse validum, si tamen ceremoniæ omissæ fuerint, suppleantur illæ; omissâ materiâ, & formâ, si de ijs constet fuisse ritè adhibita. Quanquam his in locis vix usus obtinet; ut adultis soli illi ritus adhibeantur, si priùs validè baptizati sint: fortè expediret usum induci saltem templo occluso, nonnullis tamen præsentibus. Obiter hîc nota ex communi sententiâ, infantes, non modò Hæreticorum: sed etiam Judæorum, reliquorumque Infidelium, certo existente periculo, posse baptizari

invitis

invitis etiam parentibus: quia tùm censentur esse extra eorum potestatem, neque perversionis subesse periculum.

NUM. VII.

Tempus, & Locus Baptismi.

ALiqui differunt infantis baptismum ad octavum à partu diem, aliqui diutius: causa ferè una, apparatus baptismi, & præsertim absentia Patrinorum, cùm illustres viri exspectantur, qui suscipiant: Et sunt, qui non culpent; modò interim diligenter caueatur, ne periculum aliquod vitæ, ac salutis incidat. Verùm ut vigilet nutrix, & famula excubet ad cunas, tamen grave malum, animam infantis, qui juvare se non potest, diutiùs detineri à parentibus labe originali infectam, & sub dœmonis potestate, cùm citiùs possis asserere in libertatem: quare suaderem, ne tam procul accersant Patrinos, qui diu exspectandi sint.

Quod ad locum attinet, extra Ecclesiam ne baptiza, aut nonnisi consulto, & approbante Episcopo, aut certè nisi necessitas cogat, vel privilegium, quale esset

esset fortè pro virorum Principium filijs.

NUM. VIII.

De Ceremonijs, præsertim de Patrinis.

CEremonias baptismi exactè obserua juxta Rituale diœcesanum, quibus ritè peractis consultum est, quod alicubi præscribitur; ut per obstetricem, vel illam, quæ infantem ad baptismum detulit, parentes moneas, ne baptizatum nutriendum tradant Iudææ, vel hæreticæ fœminæ, & ut suo tempore curent instrui & imbui moribus Catholicis, caveant vero interim, ne eodem lecto cum infante ita dormiant, ut forsan casu deijciant, aut opprimant, aut suffocent. Præcipuè inter ritus attende ad Patrinos, quos monebis de cognatione spirituali, quam inde contrahunt cum personâ baptizata, & ipsius patre, ac matre, ratione cuius oritur impedimentum inter illos matrimonium dirimens, & consequenter specialis incestus, si inter se aliquid contra Castitatem committant: ad hoc etiam pro se aduertant Parochi baptizantes.

zantes. Expediret fœminæ fœminam, masculo masculum dari in Patrinos, neque multos, quô minus matrimonij impedimenta incurrantur. In baptismo necessitatis non adhibetur necessariò Patrinus: si adhibeatur, contrahit cognationem spiritualem: cùm autem post baptismum collatum supplentur cæremoniæ, & si adhiberi possint testes aliqui, non tamen propriè Patrini, quia tunc non suscipitur infans de sacro fonte cùm priùs fuerit baptizatus. Si imponant nomina alicuius hominis non sancti, aut ita detorta, ut sine risu, vel joco pronunciari nequeant, ne admittas, neque facilè plura, quam duo, nisi parentes essent illustres. Referes in libro baptizatorum nomina parentum, baptizantis, patrinorum, locum, annum, mensem, diem: neque tamen ex eo libro natalitias legitimitatis literas conficies, quæ pro certis habeantur; quia parentum subinde nomina confinguntur, præsertim cùm proles illegitima est, ut eorum nomini, & famæ parcatur. Ut natalitiæ legitimæ sint, confici debent ex formâ

juridicâ authoritate Senatûs, & notarij jurati, convocatisque legitimis testibus, quo optimo modo fieri potest. Quærit Layman, an hæreticus admitti possit à Catholicis pro Patrino? non est omninò alienus, si gravis causa subesset, & abesset scandalum. Ego potiùs omitterem, quàm admitterem: aliud est, si Catholicus sine scandalo adhiberetur Patrinus in baptismo, quem conferret hæreticus.

NUM. IX.

De procurandâ Confirmatione.

SAcramentum Confirmationis quædam est perfectio, & velut complementum characteris baptismalis; ut fidem, quam Christiani accipiunt per baptismum, generosè, & fortiter retinere possint tempore tentationum, aut persecutionum. Unde etsi Confirmare tuum non sit: tuum tamen est curatoris animarum procurare, ut tui non negligant: proinde exhortaberis subinde populum, præsertim cùm Episcopus in tuo, vel vicino loco collaturus est, ut suscipiant

piant hoc Sacramentum, neque post septennium ætatis nimium diu differant: Quod magis urgendum est, in partibus hæreticâ lue infectis. Quamobrem ex catechismo Concilij Tridentini, vel aliunde eos instrues, quid sit hoc Sacramentum, & quam vim habeat, quæ materia, quæ forma, qui ritus, quid sibi velit alapa, quam Episcopus infringit, cur frons ungatur? cur ligetur linteolo? & quid eo agere debeant, cùm aliquamdiu gestârint: nam cognitio harum rerum devotionem excitat, & fructum majorem adfert. Docendi etiam sunt, cùm hoc Sacramentum sit vivorum, si conscij sibi sint peccati gravioris, præmittant veram contritionem, vel quod certiùs est, sacram confessionem: decet, ut jejuni accedant, non est necesse: accedant autem modestè, reverenter & piè, ut par est. Patrinus sufficit unus, is esse debet confirmatus, contrahitque similem cognationem spiritualem, & matrimonij impedimentum, prout de baptismo dictum est.

CAPUT III.

Instructiones, & praxes circa Sacramentum Pœnitentiæ.

PRIMA SECTIO.

Quædam generaliora.

NUM. I.

De Scientia, Loco, & Habitu Confessarij.

SCientia Casuum hîc opus est. Studebis præsertim, ut versatus sis in distinguendis peccatis mortalibus à venialibus, & quæ mortalia specie sint diversâ: item, qui casus sint reservati, qui annexam habeant censuram, quòd onus sit restitutionis. Sanos ordinariè audies in Ecclesiâ, nisi subinde ratio aliud exigat, & quidem loco patenti, neque obscuro: asserculus confessionalis ad audiendum perforatus vultum tuum à pœnitentibus præsertim fœminis ita separet, ut audire, non item videre possis; neque enim decet; ut minimùm manu, & strophilo interpositis coërceas aspe-

spectum. Decet, ubi, & quando mos est, superpellicio, & stolâ convenienter; saltem veste Cleriacali indutum confessiones excipere. Cùm ad altare pro sacrificio accesseris, non facilè aurem præbeas confiteri volenti, tum ne sacrificium interrumpas, tum ne longior fieri debeat mora, aut neganda sit absolutio, non sine pœnitentis, & fortè aliorum perturbatione. Quòad infirmos attinet majori opus cautelâ, si in lecto jaceant, decenter sint cooperti, locus sit neque obscurus, neque planè obseratus, adsit præsens aliquis testis, neque nimia mora trahatur, præsertim cum fœminis, exuletque omnis levitas, aut familiaritas: latet hîc serpens: nihil proniùs, quàm spargi, & hauriri venenũ, & quanto tunc periculo salutis alterius.

NUM. II.

Qui audiendi?

TUos audies, non alienos, nisi horum, superior eam tibi potestatem delegârit. Censetur id fecisse pro casu necessitatis, item pro ijs, qui in tuam parochiam religionis causâ peregrinationem

suscipiunt, aut illac iter faciunt, modò non dolo malo; ut proprium pastorem refugiant. Vagi, qui nusquam sedem certam habent, tui sunt, quamdiu inter tuas oves versantur. Religiosos audire potes, si facultatem à Prælato acceperint. Sacerdotibus sæcularibus consuetudo alicubi permittit, ut cuivis approbato confiteri possint, & absolvi à casibus ibi non reservatis. Monendus hîc mihi es obiter, mi Neo-paroche, ne sine rationabili causâ miseris, & pauperibus nobiles; & divites præhabeas, illos extrudas, hos intrudas: offendit enim hæc indiscreta discretio: adverte etiam obiter, etsi delegare possis tuam jurisdictionem alteri ad tuos audiendos: debere illum esse ab Episcopo approbatum ad audiendas confessiones.

NUM. III.

De surdis, mutis, aut linguæ ignaris.

SUrdorum confessionem eo loco excipe: ubi cum ijs loqui sic possis; ut alij audire non possint. Clamare solent

ipsi, quod putent etiam cæteros malè audire: mone eos, ut modestiùs loquantur. Quòd si ita capti sint auribus; ut nihil omninò percipiant; signis, & nutibus agendum, insinuandumque gravium peccatorum numerum in digitis ostendant: pœnitentiam verò illis significa ostensione, verbi gratiâ, rosarij, vel alio signo. Si nôrunt legere, & scribere: scripto interrogare, & quædam monere potes, & ipsi confiteri possunt scripto, si velint; nam saltem extra periculum mortis, nemo ad id tenetur, ob periculum sigilli frangendi: quam ob causam neque ignaro linguæ, quis tenetur confiteri per interpretem, saltem extra articulum mortis. parque ratio est de mutis; nutibus tamen & signis uti debent; ijsdemque uti debebis; partim ut peccata cognoscas aliquo modo, partim ut pœnitentiam injungas. Quòd si nihil in particulari de peccatis exprimere possint, ostendant saltem voluntatem confitendi signo aliquo animi pœnitentis, ut tunsione pectoris, flexione poplitum, conjunctione manuum, sufficiet-

que ut absolvas, atque ad id illi tenentur; præsertim si periculum mortis id exigat. Eodem modo agendum tibi, si accesserit pœnitens planè ignarus tuæ linguæ, neque interpretem habeas, aut eo uti nolit: conabere tamen semper saltem aliquod peccatum quantumvis leve extorquere. Planè simul mutus, & surdus à nativitate, cùm nihil cognoscat de hoc sacramento, non video quâ ratione absolvi possit. Tu vide, an ex gestu signum aliquod sufficiens deprehendere possis.

NUM. IV.

De accedentibus in habitu inconvenienti.

SI qui ad confessionem accedant habitu, ornatuvé corporis malo, si venialis est vanitas, aut fastus, ne repelle: repelle autem, nisi dolorem præmittant, emendationemque promittant; si habitus ille, vel ornatus sit mortaliter malus, vel quia vehementer libidinem excitat, aut gestatur animo libidinoso: quòd si pœnitens ornatum illum offerat in bo-

num ecclesiœ, aut pauperum, ne sic quidem admitte, nisi saltem priorem formam destruat. Gladio accinctum confiteri, etsi minùs decet; de se tamen cum sacramento non pugnat.

NUM. V.

De pueris, aut adultis rudioribus, præcipuè rusticanis.

SI quos adeò rerum ad salutem necessariarum rudes deprehendas: ut ignorent esse unum DEUM mundi creatorem, & gubernatorem, qui bonos post hanc vitam præmiet, malos puniat, ne priùs absolve, quàm id sciant, facilè est id paucis edocere; difficiliùs, ut intelligant esse trinum in personis, ex ijs Filium natum ex Virgine, nobis redimendis passum, ac mortuum resurrexisse, quæ tamen omnino esse ad salutem necessaria aliqui Theologi existimant: itaq; id etiam effice, ut hæc quoq; confuso saltē modo credant. Reliqua mysteria, quæ ex præcepto addiscere tenentur, saltē quo ad rei substantiam, &, prout in Symbolo Apostolorum continentur, si

discere neglexerint, se accusent, proponantque daturos operam: ut addiscant, uti etiam orationem saltem Dominicam, præcepta DEi, & Ecclesiæ, & quæ sint Sacramenta. Scire in particulari debent Sacramentum pœnitentiæ unum esse ex septem à Christo institutis, prærequiri examen conscientiæ de peccatis, adferri debere detestationem, & dolorem cum proposito vitæ melioris, confessionem peccatorum mortalium debere esse, quantum fieri potest, integram: quæ omnia sigillatim explicare, tunc primùm, cùm ad confitendum accedunt, operosum foret. Quare, ubi plures sunt ejusmodi rudiores, ut in pagis sunt pauperes, & qui pecoribus custodiendis vacant, itemque pueri, & puellæ, qui neque in scholis, neque in lectione catechisticâ erudiuntur; congregabis illorum plures simul, circa præcipuas anni festivitates: ut per te, vel alium idoneum de credendis, sciendis, deque ratione confitendi instruantur. Ne tamen imiteris nonnullos, qui pueros, & puellas convocant, & publicè

con-

confiteri jubent: ut ita instruant, sed si confessuri sunt, privatim, & ad aurem excipe, & examina; tum, quos videris capaces, absolve, ne gratiâ Sacramenti fraudentur: si dubitas, appone conditionem, *si capax sis, & dispositus.*

NUM. VI.

De indispositis propter excommunicationem.

EXcommunicatione majori innodatos non priùs à peccatis absolves, quàm eo vinculo exsolveris, si potes: alioqui remitte ad Superiorem, penes quem residet ea potestas, nisi urgeret mortis periculum, tunc enim potes, & probabiliter eo saltem casu, quo annuæ Communionis præceptum premeret, neque absque scandalo omitti, neque Superior adiri posset sine gravi admodum incommodo, essetque excommunicatio occulta, (alioqui fieret scandalum) absolves autem cum onere; ut cùm poterit, se sistat ei, penes quem propriè est potestas absolvendi ab excommunicatione, promittatque seriò facere satis parti læsæ, si quæ læsa est. D 6 NUM.

NUM. VII.

De indispositis defectu sufficientis examinis conscientiæ.

CErtum est ad confessionem prærequiri conscientiæ examen: censetur enim noluisse integrè confiteri, qui sine eo imparatus accedit. Sufficit tamen, quod prudentis judicio moraliter sufficere videtur, consideratis circumstantijs, ingenij, judicij, memoriæ pœnitentis, temporis ab ultimâ confessione interjecti, consuetudinis peccandi graviùs, aut leviùs, diligentiæ, vel negligentiæ in excutiendâ identidem conscientiâ; conscientiæ deniqúe tenerioris, aut laxioris. Si deprehendis pœnitentem ex gravi culpâ neglexisse examen moraliter sufficiens, primùm monebis: ut hoc ipsum peccatum neglecti examinis, & indigni ad Sacramentum accessûs confiteatur, remittesque illum ad examen diligentius, si speres concesso tempore paratiorem rediturum: sin minùs, mone; ut imposterùm accedat paratior; interim interroga circa ea, quæ ab hominibus i-

ſtius ſtatûs, & conditionis peccari ſolent, ita enim ſupples examinis negligentiam; & ſæpè fit, præſertim in rudibus; ut quô plus temporis in excutiendâ conſcientiâ per ſe impendunt, eô ſe intricent magis: alij confuſione repulſæ exacerbati, ne redeunt quidem: Itaque ne facilè remittas, quando defectum ſupplere potes: mone tamen priùs, ut temerè non reſpondeant ad interrogata, ſed ſumpto ad id brevi ſaltem morulâ, utque bonâ fide agant: &, ut ſi aliquid grave in memoriam redeat posteà, id in proximâ confeſſione exponant.

NUM. VIII.

De indiſpoſitis defectu debitæ integritatis.

NOnnulli, præſertim cùm ſuo Parocho confitentur, licet ex nullâ causâ ſufficienti, præ vano pudere, & puerili metu quædam celant graviora, præſertim in peccatis luxuriæ, aut ſi quam injuriam graviorem Parocho, vel Eccleſiæ parochiali clàm intulerint. Si quid tale ſuſpiceris, ſive ex conditione pœnitentis, ſive ex modo confitendi, ſuggere

animos, & stimulos suaviter admove, & hortare: ut quidquid conscientiam mordet, aut pungit, confidenter exonerent; ita levandam conscientiam, alioquin excarnificandam; nullum esse peccatum tam enorme, quod DEus non remittat confitenti, confessarios non offendi, imò eô magis benevolentiâ affici erga eos, quos vident candidè, & sincerè suorum criminum pœnitentes; denique DEum non latere quidquid in conscientiâ latet; & olim in die judicij, apertis conscientiarum libris, omnes, & ipsum confessarium de re totâ cognituros. Ita pusilanimes illos animando paulatim, & quodam velut artificio ad liberè confitendum primùm allicies, mox etiam elicies, quod silentio premebant, faciesque, ut hoc etiam, quod celare voluerint, fateantur.

NUM. IX.
De indispositis ob defectum doloris.

IAm verò, si ex modo confitendi, aut aliundè vides confessionem per modum

dum cujusdam narrationis, aut historiæ fieri, neque proficisci ex dolore animi pœnitentisque vitam meliorem, alij erunt admovendi stimuli. Primò significabis dolorem verum, & intimum planè requiri ad peccati remissionem; confessionem alioqui non prodesse, imò fore sacrilegam. Deinde suggere ea, quæ ad dolorem de peccatis, vel cor saxeum movere debent: sunt autem summatim hæc, turpitudo peccati, quod veluti quoddam monstrum est depravatæ voluntatis, cujus deformitatem si oculis cerneret peccator, horreret profectò, & cane pejùs, & angue detestaretur: præterea peccatum quidam est contemptus supremæ divinæ Majestatis, & contra ipsius sanctissimam legem rebellio, quæ injuria eò haberi debet major, quòd sit conjuncta cum summâ ingratitudine, imò perfidiâ: ideòque meritò peccator privatur gratiâ, & amicitiâ DEi, fitque ei exosus, reusque æternæ damnationis, nisi resipiscat, interim subest potestati, & tyrannidi dæmonis, quo statu nil esse potest miserius.

Sed

Sed nihil magis excitare debet detestationem, & veram cordis Contritionem, quàm quòd peccatum sit offensa summi boni, super omnia amabilis, & cui repugnat infinitâ quâdam malitiâ peccatum saltem mortale. Habes mi Neoparoche, veluti in pharetrâ jam sagittas, quibus cor peccatoris impœnitentis atterere, imò conterere possis: utere his, illis, hoc, illové modo, ut oportuniùs fore judicabis.

NUM. X.

De Proposito, Recidivo; Occasionum fugâ.

CUm dolore requisito includi debet propositum vitæ imposterum emendandæ, ad quod magni præsertim peccatores, minùs attendunt, ideòque tibi maximè laborandum; ut id efficaciter proponant, utque remedia adhibeant, quæ suggeres, urgebisque, ut occasiones fugiant, ne in eadem præcipites agantur, & per annos plurimos relabantur. Nihil molestiùs confessario, quàm cum canibus ad vomitum, & suibus ad volutabrum

brum toties redeuntibus: quid enim agas isto homine, qui viginti, triginta, eoque amplius annis, gravia, & enormia, & quidem eadem confitetur, æquè semper remedia negligit, in easdem se occasiones volens induit: quomodo te, vel illum isto labyrintho expedies? Recidere in levia, humanum est; nonnunquam labi in graviora, tolerabile, præsertim si sponte non captantur occasiones propinquæ, facilius enim est ejusmodi absolvere, si recidant, modò eo sint animo, ut magis cavere velint. Labor, & opus cum ijs, qui occasiones proximas, vel de se malas, vel quæ eos proximè ad malum inducunt, evitare negligunt. Sunt autem ejusmodi societates quædam, quæ ad relapsum impellunt, domi familiaritas cum lupâ, contubernium cum uxore Putipharis, & ejusmodi. Quòd si tamen eæ occasiones, neque sint quæsitæ ultrò, neque de se malæ sint, neq; sine gravi incommodo ex loco, aut periculo pœnitens exire possit: absolves, quoties redibit verè pœnitens, ita animo paratus: ut seriò consensum velit cohibere, quantumcunque

occa-

occasio impellat: item fugere quantum poterit, seque contrà præmunire, atque obarmare precibus, jejuniis, eleemosynis, alijsque bonis operibus; præsertim frequenti usu confessionis, & sacræ communionis; minùsque eris difficilis, si advertas aliquam in dies fieri emendationem.

NUM. X.
De Repetitione Confessionum.

NOnnunquàm confessiones de totâ vitâ instituuntur, aut de magnâ illius parte, ex honestâ causâ quidem; sed absque necessitate, nimirùm ad majorem sui confusionem, demissionem animi, & intensiorem dolorem de prioribus peccatis, licet ritè aliquandò confessis; prætereà ad quietem, & securitatem conscientiæ in horâ mortis. Hîc tamen prudentiâ opus est; neque enim semper id fieri expedit, scrupulosi ejusmodi confessionibus se intricant magis, quàm extricant; neque consulendæ facilè fœminis, quæ impudicè vixerunt, si existimentur ritè confessæ, quia majorem

rem

rem fœtorem exhalant cloacæ, quando moventur. Sunt, qui ex libris, quos specula confessionum vocant, ad confessiones ejusmodi generales utantur imprudenter, cùm discernere ægrè possint, quæ, & quomodo ad se peccata in illis scripta pertineant; atque ita, & se, & confessarios confundunt, & quædam narrant, quæ non patrârunt, aut supra modum exaggerant: addiscunt verò subinde, quæ eos ignorare satiùs esset. Itaque non facilè permittes confessionum non necessariarum repetitiones, nisi diligenter causam cognoris, & pœnitentis conditionem, judicium, prudentiam, simulque instruxeris de modo, & methodo, quæ servari debet; alioqui si rectè, & prudenter suscipiantur, consulendæ sunt & laudandæ: minusque tibi auditu molestæ, quòd ea jam ritè semel confessa minorem curam confessarij permittant. Major molestia, & impensior cura à te exigitur; cùm confessiones necessariæ repetendæ erunt, quod accidere potest ex varijs causis; si priores nihil valuerint; si gra-

via

via peccata omissa defectu examinis, neque ea negligentia suppleta sit: si pœnitens aliqua ejusmodi turpi pudore tacuit, quod fatendum erat: si de gravibus erratis non doluit, aut noluit imposterum emendare, aut certè ab eo absolutionem petijt, qui impertiri non poterat. Qui errores cùm deprehenduntur, certum est peccata sic confessa repeti debere, & inter illa exponendum, quoties sacrilegè sit confessus, & quoties communicârit indignè. Accidit tamen nonnunquam, præsertim in rudibus, & obliviosis, ut posteà non recordentur malarum confessionum, & deinceps bonâ fide pergant confiteri: sufficiet tunc, cùm in memoriam redibit cogitatio confessionum, quæ malè fuerant factæ, earum peccata mortalia repetere, & de ijs, sacrilegioque commisso ex indignâ susceptione Sacramenti, rursum se accusare. Negotium sanè implicatum, licebit tamen tibi, ut te faciliùs expedias, sequi sententiam probabilem Scriptorum illorum, qui docent quibusdam casibus, quos apud illos leges, dari Sacramentum pœnitentiæ informe: his enim casibus a-

junt

junt confitendum aliquando esse defectum, ob quem Sacramentum impeditum fuerit, ne conferret gratiam, peccata verò confessa, in Sacramento informi illis casibus non esse necessariò reponenda, sed sublato obice vi prioris condonari, ego quidem ab hac opinione dissentio. Hoc mihi probabilius: omitti posse peccata, quæ pœnitens probabiliter existimat vel non esse mortalia, vel non esse à se commissa, vel esse ritè confessa; multò magis omittere poterit ea, de quibus solo scrupulo ex levi, neque rationabili suspicione angitur.

NUM. XII.

De ineundo mortalium numero.

Est omninò hic numerus exprimendus; longus, fateor, & permolestus labor, præsertim in ijs, qui pridem non sunt confessi, & scatent peccatis: nam longam illam telam retexere, & tot nodos dissolvere, quàm difficile pœnitenti, tam molestum Confessario. Evolves tamen quantum poteris, si mathematicè non poteris, conjicies saltem circiter, plus, minusvé; prout & ipse

ipse pœnitens computabit: quâ in re monendus est, ut nonnihil pensiculatim numeret, bonâ fide, & certa certò; dubia dubiè recenseat. Quòd si res tot, tamque variæ sunt implexæ; ut ne quidem probabilem numerum designare possit: utere tu artificio, ut summam conficias: inquire quoties circitèr, aut plus, minusvé intra mensem, hebdomadamvé solitus sit, & quando opus est, (ut ferè fit in peccato luxuriæ) quibus cum personis, modis, circumstantijs, quando hæc speciem peccati mutant, nam, quæ tantum imminuunt, aut aggravant intra eandem speciem; censent boni Theologi, nihil opus esse enucleatiùs explicari, præsertim in istâ rerum confusione, aut in materiâ luxuriæ: ubi nimia diligentia periculosa.

NUM. XIII.

De Confessionis interruptione, & dimidiatione.

Cùm cœperis audire confitentem, perge, dum absolveris, nisi rationabilis causa interruptionem aliquam

suadeat: parum, pro nihilo est; plus moræ conceditur, si infirmus evocet, si persona illustris in loco interpellet, & res urgeat, de quâ monendus est pœnitens, ne offendatur. Subinde etiam recedendum tantisper, aut differendum cum bonâ veniâ pœnitentis ad quærendam resolutionem dubij casûs, quem ipse explicare non potes: Quod si tamen malit redire posteà pro resolutione, credasque rediturum, absolvere poteris, si ritè, & integrè sit confessus. Cùm interrupta est confessio, & deinde pergitur, nihil opus est ea repeti, quæ rectè confessa sunt, modò saltem confusam memoriam retineas eorum; ut pro ijs satisfactionem imponere possis. Consultiùs tamen est in fine confessionis illa iterum subjici clavibus hâc vel simili formâ: *de priùs, & nunc confessis doleo, petoque absolutionem.*

Porrò dimidiare confessionem, id est partem mortalium confiteri, à qua absolvas, partem aliam relinquere, à quâ tu vel alius posteà, non licet nisi rationabilis causa subsit, qualis non est fre-

frequentia pœnitentium in magnâ celebritate Festi, satiùs enim est paucos benè confitentes audire, quàm multos malè: si tamen tantus est affluxus, aut alia ratio festinationem urgeat, mone pœnitentem, ut superflua resecet, mortalia sola recenseat, è venialibus paucula: juverit etiam uti interrogationibus succinctis, minùs necessaria pro remedijs in aliud tempus rejicere, monito pœnitente: ut interim conquiescat, studeatque vitam corrigere. Specialis quæstio est, an aliquando ob casus reservatos confessio dimidiari possit: quod jam videbimus.

NUM. XIV.
De Casibus reservatis.

SOla mortalia reservantur; & summo quidem pontifici sola illa, quæ annexam habent excommunicationem ipsi reservatam: unde si excommunicatio illi non reservatur, aut revera non fuit incursa propter ignorantiam censuræ, vel certè fuit aliunde sublata; desinit peccatum esse reservatum. Inter reservata

Pon-

Pontifici, & quæ ad omnes pertinent, maximè usui sunt, quæ in bullâ Cœnæ continentur, ubi, & quatenus ea est recepta: similiter percussio gravis Clerici aut Religiosi, simonia etiam illa, quæ confidentialis dicitur: Prætereà duellum, ubi Clementis VIII. bulla in usu est, neque enim ubique viget: reliquas excommunicationes Pontifici reservatas vide apud Auctores de Censuris: quia verò excommunicatio requirit pertinaciam contra præceptum Ecclesiæ, imò & notitiam censuræ in pœnam adjectæ, plurimi, præsertim rudes, cùm ignorent, quænam sub excommunicatione prohibeat Pontifex, eam non incurrunt, etsi peccent fortassis aliunde: ideòque cùm tunc non reserventur, ea peccata à te absolvi poterunt.

Episcopi etiam certos casus sibi habent, à se vel à præcessoribus reservatos; sed difficile est definire quinam sint illi de facto reservati, nam varij pro varijs diœcesibus reservantur; tu, cùm animarum curam suscipies, fac ut ex Vi-

cario Generali quinam ex illis tibi reservventur, probè intelligas.

Igitur cùm ex confusione; vel aliunde cognoveris aliquem incidisse in casum Pontifici, vel Episcopo tuo reservatum; ne perge ulteriùs; sed pœnitentem remitte ad Superiorem, penès quem est ea facultas, nisi eam delegatam habeas, vel certè obtinere possis ante absolutionem. In casibus Pontificijs quibusdam aliquid potest Nuncius Apostolicus, & pro foro conscientiæ aliqui Religiosi ex privilegio, & Episcopus in quibusdam occultis peccatis, aut cùm adiri Pontifex non potest: in periculo mortis nihil reservatur. Probabile est, quòd si urgeat præceptum annuæ confessionis, aut communionis, & desit copia illius, qui reservata absolvat, poteris audire ea, quæ habet non reservata eo cum onere; ut deinde adeat eum, qui in alia jurisdictionem habet, à quibus absolvatur. Sunt qui velint, ut etiam reservata eo casu audias; non video cur necesse sit, si ab ijs absolvere non possis, neque cogi debeat pœnitens eadem bis fateri: satisfactionem

nem itaque impones pro ijs, à quibus directè absolvis: Superior pro ijs quæ ad ipsum deferentur. Si peregrinus ad te deferat casus in suâ solùm diœcesi reservatos, non in tuâ: absolvere poteris: quia ibi, non tibi reservantur.

NUM. XV.

De obligatione ad interrogandum pœnitentem.

GEneratim obligat officium Confessarij, ut pœnitens ritè confiteatur: atque ad id attendere debet, si quem defectum in illo deprehendat. Itaque primò, cùm advertes pœnitentem omittere grave peccatum, aut circumstantiam, quæ speciem mutat, aut aliter, quàm intelligas, aut numerum tacere, sive id faciat malitiosè, sive ignoranter, procurare debes, ut integre, & ritè Sacramentum administretur, appositis ad rem interrogationibus. Quare habebis animo comprehensam summam peccatorum, quæ committi solent circa præcepta decalogi, aut Ecclesiæ, ad quæ peccata etiam capitalia septem revocantur.

Placent, inter cæteros, resolutiones Pastorales nuper editæ seorsim ex Horto pastorum Jacobi Marcantij. Verùm hic etiam, ut in cæteris discretione opus est: ea tantùm interroges, quæ à similis conditionis hominibus, cujus est pœnitens, committi solent, cavendumque, ne imprudenti interrogatione pœnitentem doceas peccare, quod facilè accidit in materiâ luxuriæ, cùm pueri, aut puellæ, aut qualescunque fœminæ confitentur; nam si honestæ sint, mirantur eam interrogationem sibi fieri: si inhonestæ, unde nam Sacerdos ista tam explorate nôrit? Potiùs excitandi pœnitentes in genere: ut si quid circa sextum præceptum, & nonum peccârint, liberè & sincerè aperiant, quidquid id est, quod conscientiam gravet. Si verò oblatâ occasione aliquid interrogandum sit circa peccata luxuriæ, fiat verbis, quantum ea materia patitur, castis. Sicubi pœnitens contra quàm sentias, non putet se peccasse, sequi debes opinionem ipsius, non tuam: modò ille probabiliter sentiat.

NUM. XVI.

De obligatione ad docendum, cùm pœnitens errat.

SI in rebus conſcientiæ, aut ad confeſſionem Sacramentalem pertinentibus pœnitens tuus hallucinetur, erret, aut aliquid eorum, quæ ſcire tenetur, ignoret, docere eum debes: ſed id tunc faciendum, cùm fructus ſperatur, neque majus incommodum, aut damnum times illi vel alteri, vel bono communi. Subinde enim prudentiùs tacentur, quàm doceantur quædam vitia contractuum, obligationes reſtitutionum, impedimenta matrimonij; quando pœnitens eſt in bonâ fide, & meritò timetur, ne, ſi doceatur, ſciens peccaturus ſit, præſertim ſi ex ignoratione non ſit majus malum ſecuturum. Verùm ſi ignorat culpabiliter, docendus eſt, etſi non roget. Quòd ſi verò interroget, quantumvis timeatur, ne ſciens peccet, veritatem negare non potes, nec omninò ſilere: fortè aliquando licebit tergiverſari, aut prudenter diſſimulare

reſponſum, ne de bonæ fidei poſſeſſione majori damno deturbetur.

NUM. XVII.

De obligatione ad procurandam diſpoſitionem pro abſolutione, & ad reſtitutionem imponendam.

SI videris pœnitentem nimio metu dejectum propoſitâ DEi miſericordiâ erige, ſi timidum, animes; ſi præſidentem, inter ſpem, metumque ſtatue: ſi effutire gravia ſcelera, ſuggere faces doloris, aut potiùs, qui dolorem moveat amoris, iis nimirum incentivis, quæ ad attritionem, vel potiùs veram contritionem excitent. Deniqúe ſi peccatum obnoxium eſt reſtitutioni famæ, honoris, bonorum, aut damnorum compenſationi, putesque pœnitentem, vel ſuâ culpâ non advertere, vel certè non facturum, cùm ſciat, & poſſit, tuique que id muneris eſt pœnitentem de obligatione monere, eamque urgere, præſertim niſi aliunde prævideas majus malum ſecuturum. Quòd ſi verò neglexeris

xeris monere, etsi peccaris contra officium neglectu salutis tui pœnitentis; non tamen contra justitiam; quia ad procurandum bonum alterius ex officio confessarij non teneris, ideò neque ad reparandum damnum. Teneberis verò restituere pœnitenti (nisi aliunde excuseris) si absque probabili ratione, pronunciaveris eum teneri graviter, cùm non teneretur, nisi monueris ante solutionem. Similiter si pœnitentem docueris improbabiliter liberum esse ab onere restituendi, cùm obligaretur graviter, teneberis dedocere pœnitentem, aut ipse alteri damnum compensare, si error tuus fuerit graviter culpabilis; si verò minus, debebis saltem amoliri damnum lege charitatis, si absque graviori tuo incommodo possis.

NUM. XVIII.

De imponendâ pœnitentiâ, de absolutione à peccatis, de schedis confessionum.

PArs integrans Sacramentum pœnitentiæ est pœna aliqua satisfacto-

ria pro peccatis confessis, quæ simul medicina sit ad præcavendum imposterum. Eam tu nomine DEi impones ex officio, quod geris, tum Judicis, tum Medici, eamque pœnitens tuus acceptare debet. Si plenarias indulgentias lucraturus est, omittere poteris satisfactionem, quæ in pœnam injungi solet, impones tamen saltem aliquid per modum medicinæ præservativæ, si id exequi possit.

Convenit autem pœnitentiam injungi ante absolutionem: idque fieri solet; potest tamen posteà si priùs neglectum sit, quamdiu adhuc censetur permanere idem judicium. Impositam ab alio non mutabis, nisi peccata ob quæ injuncta est, ipse audias in confessione. Quòd si ipse omiseris imponere, aut pœnitens fuerit illius oblitus, injungere nullam poteris, nisi saltem confusam notitiam priorum peccatorum retinueris. Quoad quantitatem, & qualitatem attinet Concilium Trid. sess. 14. c. 8. generatim præscribit; ut imponatur quantum spiritus, & prudentia suggesserit; pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate. Igitur

hinc

hinc considerabis multitudinem, & gravitatem peccatorum, inde quid pœnitentis humeri valeant, quid ferre recusent; ne aut molliùs tractes, aut ne duriùs, quàm par sit. In hoc igitur genere peccant, qui vel nimiùm, vel nimis parum: postulat tamen humana fragilitas Confessarium esse mitiorem potiùs, quàm duriorem. Porrò prudentiæ etiam tuæ erit; ut non semper omnibus peccatis easdem satisfactiones injungas, præsertim in medicinam; neq; enim ijsdem remedijs omnes morbi curantur: Avaros curant eleemosynæ, ambitiosos exercitia quædam pietatis humiliora, libidinosos castigationes corporis, negligentes suæ salutis, preces, auditiones missæ, peregrinationes ad loca pia; gravioribus peccatis assuetos crebrior usus confessionis, & sacræ communionis: ubi & istud prudentia docet, ne imponas debilibus, quæ laboriosa sunt, aut ijs, qui laborant onerosa, ut jejunia: nec quidquam injungas unde alij veniant in suspicionem, pœnitentem graviùs deliquisse. Deniq; ne nimiùm variæ, & multiplices, & in longum tempus pœnitentiæ

cumulentur, ita ut memoriam fugiant, aut nauſeam procreent. Arrident pœnitentibus, quas vident ſuo anima accommodatiores, quare juverit nonnunquam, cùm difficiles ſe præbent, ex ipſis quærere, quid malint, quidvé poſſint? ſubinde proponere duo, aut tria; ut eligant: ut tu id, quod ſibi elegerint, ex præcepto imponas. Cùm habitâ ratione infirmitatis corporis, vel animi injunges leviùs aliquid, quàm alioquin oporteret; pœnitentem admone, & excita; ut aliunde per opera bona, vel voluntarias pœnitentias ſuppleat; offer ipſe ex te aliquam partem ſatisfactionis ſubinde; mirum enim quantum hæc humanitas acerbitatem pœnítentiæ emolliat, & benevolentiam conciliet. Præterea aliqui Theologi putant hanc clauſulam: *Paßio Domini noſtri IESU Chriſti, &c. & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remißionem peccatorum.* elevari virtute clavium, ut ex opere operato remittant partem pœnæ: quod ſi verum eſt, neque id erit facile negligendum, & faciliùs excuſantur, qui minores pœnitentias injungunt.

Sequitur pars ultima, eaque præcipua, Abſolutio. Formulam in Rituali libro præſcriptam religiosè obſerva: licet ad valorem ſatis ſint hæc duo verba, *Abſolvo te*, aut ſaltem ſi addas *à peccatis*. Illâ uti poterit cùm res tantillam moram non patitur. Quæ præmitti ſolent, *Miſereatur tui, &c.* Et *Indulgentiam &c.* Preces ſunt ferè liberæ: illud verò *Dominus noſter IESUS, &c.* & *Ego authoritate ipſius, &c.* communitèr ne omittas: facit enim ad dignitarem, & devotionem, extremum illud, *Paßio Domini &c.* vim magnam habet, etſi ex causâ etiam omitti poſſit. De abſolutione à Cenſuris conſule Rituale.

Cùm urget præceptum confeſſionis, ſi pœnitens petat facultatem alteri confitendi; ne facilè deneges, exigere tamen poteris ſchedam confeſſionis alteri factæ teſtem: Formula ejuſmodi ſchedarum eſſe hæc ſolet, *Ego N. N. audivi ſacramentalem confeßionem N. N. tali loco, die, menſe, anno.* Non expedit hæc verba, *& eum abſolvi*, neque hoc requiri debet, quia ſi non eſt ille abſolutus, ſchedâ mendacium continebit, mentiri autem non licet: ſi

eſt abſolutus; & illis ſolis hoc adſcribas, quos abſolveris; cùm omittes, ingeres ſuſpicionem malæ confeſſionis, & ita ſigillum franges: ſatis cuique eſſe debet, ſi ſcheda teſtetur illum ſacramentaliter eſſe confeſſum: neque propterea ſuſpectum aliquem reddes negatæ forſam abſolutionis: ſi modò nulli omninò aliâ formulâ confeſſionis teſtimonium concedas, ne ijs quidem, quos abſolveris.

NUM. XIX.

De ſupplendis defectibus in ipſo Sacramentis commiſſis.

SI per errorem, vel oblivionem dimiſeris pœnitentem, alioqui ritè diſpoſitum, non datâ abſolutione legitima a gravibus, neq; ita procul à te abſit, quin moraliter cenſeri poſſit adhuc præſens, & ritè diſpoſitus, abſolve etiam neſcientem: ſin minùs, ſi potes absq; gravi incommodo, aut ſcandalo, roga prudenter, ſervato ſigillo, ut tibi iterum confiteri velit: eſſe bonam cauſam, cur id roges, & tunc à prioribus, & ijs, quæ de novo confeſſus eſt, abſolves; ſi neq; hoc poſſis ſine gravi incom-

incommodo, vel offensione: si lebis, & Deo committes, præsertim si ab eo tempore receperit aliquod Sacramentum; vel credatur brevi recepturus, eô enim prior defectus supplebitur. Quòd si tamen mors immineret, neq; ullum Sacramentum recipere posset tuus ille pœnitens, omninò monendus esset; ut confiteri velit, aperto, si opus sit, tuo defectu; ne cum vitâ de salute periclitetur. Similiter si defectus fuerit ex parte pœnitentis, vel quia sine causâ peccatum mortale reticuit, vel quia sine dolore sufficienti confessus est, eodem remedio, ut jam docui, utaris, si defectum posteà cognôris; servatâ tamen sigilli religione.

Alij defectus subinde non reddunt Sacramentum invalidum; sed tantùm illicitum, si scienter admittantur: ut si absolveris à casu reservato inter alia, quæ absolvere poteras, aut ab excommunicatione, à quâ non poteras, bonâ tamen fide pœnitentis, si omiseris imponere pœnitentiam debitam; non erit tantæ molis, aut oneris eos emendare, cùm absolutio valuerit: si tamen corrigere commo-

dè defectum possis, corriges: attendes tamen semper, ut sigillum serves.

NUM. XX.

De Sigillo.

CAve; ne directè, vel indirectè, ullo modo, vel unquam, ullovè casu, ne mortis quidem vitandæ causâ, aut prætextu cujusvis boni, etiam publici, sacrosanctum Sigillum confessionis frangas, aut occasionem præbeas, ne alij frangant, ideòque arcebis eos, qui propiùs accedunt confitenti; cavebis præterea, ne voce altiore, aut gestu, vel alio signo assistentes intelligant aliquid pertinens ad sigillum. Frangitur autem sigillum, vel revelando peccatum mortale etiam invenire, vel veniale quodpiam in specie, vel quodcunque, quod pœnitens confessus est tanquam pertinens ad suum peccatum in confessione explicandum. Prætereà censetur frangi, si ex eâ notitiâ, sine veniâ pœnitentis, aliquid dicas, faciasvé, quòd pœnitentibus pudorem, horroremque, atque ita ipsius Sacramenti incommodum adferre posset.

ſet. Facilè in his impinges: niſi linguæ frœnum injicias: faciliuſque erit de auditis in confeſſione omninò tacere, quàm vel verbum loqui: cum pœnitente verò ita agas; ac ſi ex confeſſione non noſces: niſi fortè de ipſius licentiâ. Res hæc lubrica eſt: iterum moneo, cave: præſertìm ſi de uxore cum marito, de liberis cum parentibus, quorum confeſſarius es, loquendum, agendumque ſit, & de ijs præſertìm, quæ vitioſa ſunt. In ipſâ etiam confeſſione frangi poteſt ſigillum, ut ſi pœnitenti aliquid narres, unde ille alterius, qui tibi confeſſus eſt, peccatum ſuſpicetur, quod in interrogationibus facilè contingit per imprudentiam. Si extra confeſſionem noveris peccatum aliquod pœnitentis, de quo loqui te oporteat, ſignifica unde, vel quomodo id nôris; ne venias in ſuſpicionem revelatæ confeſſionis. Si quiſpiam te interroget de auditis in confeſſione: nega, pernega, te quicquam ſcire, adhibito etiam juramento, ſi opus eſt: neſcis enim illa ex notitiâ quâdam humanâ, quæ ſola quæri poteſt, & reprehende tam imprudentem

dentem interrogationem: Sigillum quidem non frangis, cùm petis à pœnitente licentiam, ut cum eo de confessione agere possis, & ipse sponte consentiat: sed, nisi gravi de causâ, ne pete: nam ferè ruborem id incutit, præsertim si urgeas, cùm negat.

SECTIO II.

Particularia quædam circa infirmos, ac moribundus.

NUM. XXI.

De præparandis infirmis ad non differendam confessionem.

SUprà monui generatim confessiones esse excipiendas loco neque clauso, neque obscuro, id maximè curandum cùm infirmi audiendi sunt, præsertim fœminæ, curandumque, si fieri potest, ut aliquis sit præsens, qui non quidem audire, sed videre possit, quid agatur. Cavenda prætereà levitas omnis verborum, vel actionum: quia hoc tempore, & loco est periculosior. Imprimis pro concione, datâ, vel arreptâ occasione monendus populus, & præmuniendus, ne in morbis nimium

nimiùm differant vocare Confessarium, aut confiteri, quâ ex re non pauci maximo cum salutis discrimine, vel moriuntur sine Sacramentis, vel ita serò suscipiunt, ut exiguum ex ijs fructum referant.

Solet enim dœmon, in morbis præcipuè, peccatores fallacibus argumentis inducere; ut differendo, de die in diem procrastinent, atq; ita vel malè, vel minori suo bono è vivis eripiantur. Fallaciæ autem sunt hæ, quas detege adhuc sanis, ne infirmi se decipi à dœmone patiantur. Igitur initio morbi hæc obtrudunt: nullum adhuc esse mortis periculum; molestiam frustrà Sacerdoti esse creandam: timidi esse animi mortem tam procul positam pertimescere; cras videndum, quid sit futurum. Ita primò procrastinatur: die sequenti invalescit morbus, advocantur Medici, medicinæ adhibentur, suggerit aliquis ægro, an Confessarium Medicum animæ, an ejusdem medicinam confessionem velit? non vacat, inquit, jam nec lubet: pharmaca me enecant, cras erit melius: atq; iterum procrastinatur; interim malum cum die augetur,

getur, corpus fit debilius, mens langui-
dior, jam cibi, jam hominum vox, & a-
spectus nauseam, & tædium adferunt;
caput, inquit, dolet, cor palpitat, sinite
me somnum, & quietem capere, nemo
me interpellet; atque ita sensim abitur
à curâ animæ, & salutis longiùs; ad mor-
tem verò propiùs; eò tandem deduxit
ista procrastinatio. Has tu igitur dæmo-
nis fraudes tam perniciosas tempestivè
aperi, simulque tartarei istius sophistæ
argumenta, quæ infirmis obijcere solet,
desutando dilue. Docebis itaque peri-
culosum esse expectare mortis ipsius pe-
riculum, Sacerdotibus molestum non
forè, si tempori evocentur, negotium
enim fore expeditius; non timidi; sed
prudentis hominis esse mortis pericu-
lum prævertere: ubi de salute æternâ
agitur: rem committendam non esse
incerto jactui aleæ, morbos sæpè fallere,
& subitò ingravescere: corvorum vo-
cem esse illam, *cras*, *cras*, Domini vocem
hodie, Confessarios & confessionem aptè
convenire cum Medicis & medicinis,
turpe autem esse Christiano, dum corpus
curat,

curat, animam negligere; imò verò hanc ipſam incuriam animæ corpori plurimùm nocere: nam ſi conſcientia remordet, ſi mens angitur peccatorum aculeis, ſi ex eo metus mortis & judicij animam turbat, & frangit, hi morſus, hi angores, hi aculei, & anxij metus, ipſo Medicorum judicio, vim medicamentorum retundunt, atque impediunt, ideòque Medici infirmos ſoluto, & læto animo eſſe jubent: ſed quomodo ſolutus, & lætus eſſe animus poteſt, ſi etiam ipſe ſit æger, & ſuis tormentis torqueatur?

Atque hæc pro concione valent: quæ ſequuntur, tui privatim erunt muneris, tuæ curæ, ac prudentiæ; prout res ferent. Cùm graviùs ex morbo jacere quenquam cognoris, inquire, qui ſit morbi, vel infirmi ſtatus. Quòd ſi aliquid periculi deprehendas, adi ipſe infirmum, aut aliquem mitte, qui ſalutet, & his argumentis, quæ ſuprà allata ſunt, procraſtinantem excitet; ſimulque fraudes procraſtinantium prudenter, & amicè refutet, urgeatque confeſſio-

fessionem. Idemq; agere jubeantur domestici, quibus incumbit ea cura; cùm æger se negligit. Quòd si ipsi negligant, tunc pastorem age, oviculam periclitantem quære, è faucibus lupi, qui jam imminet, eripe: jam modos habes, quibus id efficias. Major erit cura adhibenda, & diligentius studium, si jam infirmus sit obstinatior, & majori in periculo versetur, tunc enim omnis mora suspecta esse debet. Hîc objiciet ille; nunc serò esse, & propè actum, cerebrum difluere in catharros, fauces strangulari, linquam hærere palato, memoriam esse turbatam, mentem confusam, velle quidem: sed nunc non posse. Tu contrà ad hæc. abstine, mi bone vir, blasphema ferè vox ista est, sanè hominis minùs de DEo sentientis: seriò age; dum adhuc spiras, spera; nec dum est serò, satiùs jam, quàm nunquam: capitis, & linguæ satis est; ut possis saltem graviora, quæ vel confusè menti occurrunt, paucis, confusè licet, expromas, si audiam, facilè intelligam, neque ratio, nec DEus plus exigit, quàm morbus, & tempus hoc possit, confitere saltem aliquid, sup-

supplebo, aut tu ipse plura posteà, cùm poteris; absolvam interim ab omnibus, quod possum. Quid times? Sacramenta morbi vim non augent, nec infirmos mactant; quid ultrà differs? Deniqúe nihil omitte, quò persuadeas: juverit inter hæc breves precatiunculas ad DEUM interponere, quas te præeunte infirmus per partes recitet, dare osculandum Crucifixum, aquam lustralem aspergere, polliceri quietem majorem, valetudinem corporis, si expediat; animæ salutem in tuto saltem locandam. His & similibus industrijs sæpè contigit eos, qui respuebant, tandem ad saniora consilia ductos resipuisse. Subjiciam quædam posteà, cùm agetur de juvandis moribundis, quæ ad huc quoqúe locum faciant, in quo diutiùs nonnihil versor, quòd hæc res maximi sit momenti, ex quo nimirùm pendet æternitas.

NUM. XXII.

De peste, aliové contagioso morbo infectis.

BOnus pastor animam suam ponit pro

pro ovibus suis, hoc Christus docuit, & fecit. Idem à te, cùm opus est, requirit officium, quod suscepisti. Opus autem est infirmis vel maximè Sacramentum pœnitentiæ, si fortè sint in statu peccati mortalis, etsi autem perfecta contritio ex vero DEi amore concepta peccatorem DEo reconciliare possit: tamen difficilior est illa, & rarior, quàm ut æternæ salutis discrimen exponi debeat periculo. Neque desunt ex prudentiâ, & arte medicâ, etiam in morbis contagiosis, imò pestiferis industriæ, & remedia, quibus ut eorum animas serves, te, & alios sanos conservare possis, à Medicis hæc faciliora præscribuntur. Corpus nitidum sit, vestes tersæ, ne malum facilè adherescat: aures, oculos, nares, os aceto forti, quale est ex floribus Sambuci, &c. ablue: stomacho non sis jejunio: è collo sacculus pendeat cordi vicinus, in quo præservativa contineantur: similiter globulus sit in manu ita perforatus, ut in nares exspiret alexi pharmaca, juvant Angelica, Zedoaria, &c. Prudentia hæc etiam dictat; ne subeas

locum

locum infectum, si ex limine, aut foribus, aut fenestrâ infirmum alloqui, & audire possis; si tecto subeundum, ne terreare; hîc enim plurimùm apprehensio mali nocet, locus fumo idoneo purificetur, declina oris halitum, neque propiùs accede, & citò expedi: quare mone pœnitentem esse tunc abundè satis, si paucula ex ijs, quæ graviùs conscientiam premunt, breviter expromat, imò veniale aliquod peccatum, quod infamiam non creet, è vitâ priori fateri posse, si alij præsentes sint, qui removeri non possint: imò verò suffecerit, ut saltem exhibeat signa doloris, & ijs se peccatorem ostendat, petatque absolvi, si aliud sine periculo infectionis, aut infamiæ, præstari non possit, paratusque ille sit, cùm licuerit, confiteri reliqua; imò absolvere etiam poteris præsens, licet ea signa coram te non dederit, si tamen à fide digno data fuisse acceperis.

Cùm domum tuam redieris, vestem superiorem ad ignem lustra, aut muta, donec illam aquâ elueris. Ut minùs periculi subeas, hortare sanos, qui sunt in

loco infecto: ut foras prodeant, & aperto aëre confiteantur, priusquàm corripiantur eâdem lue: Suadendum idem alijs, si pestis viciniam infecerit, ita enim & ipsis, & parocho consuletur. Video, mi Neo-paroche, quid te angat: mortem times, ergo depone officium. Nolo, inquis; ergo perge animosè, præcave tamen, quantum potes ijs modis, quos suggessi. Si vel sic moriere, memineris in Romano Martyrologio Sanctorum Martyrum numero accenseri eos, qui pro juvandis pestiferis vitam suam exposuerunt.

NUM. XXIII.

De lethaliter vulneratis.

SI veneris ad læsum læthali vulnere; & Chirurgi, aut alij præsentes, dum sanguinem sistunt, aut medicamentum, ne statim expiret, operosè admovent, tibi nullam moram permittant, ut excipere confessionem possis: pete ut unum alterumvé peccatum secretò jam aperiat brevissimè; vel saltem signa det doloris, & desiderij confitendi, ijsque habitis absol-

absolve; deinde capta tempus, & pluſculum otij, ut ſi fieri poſſit, integrè confitentem audias, & prout tempus feret, de Viatico, & extremâ Unctione curâ; imprimis autem age, ut iram ponat offenſam inimico condonet Chriſti, Sanctorumque exemplo, ſicut & ipſe vult ſibi à DEo ignoſci: ita tamen; ut inteliigat poſſe Judici rem committi, modò id velit ex zelo juſtitiæ, & boni publici, aut eorum quorum id intereſt; non ex odio, & ſtudio privatæ vindictæ. Si ille, qui læſit, cupiat coràm deprecari, Chirurgum, & rationem conſule, an expediat; ne fortè bilis, aut alij humores ex aſpectu, & verbis illius commoti vulnus exacerbent, & exulcerent animum: fortè ſatis fuerit, & tutius, per virum aliquem eccleſiaſticum, ejus, qui læſit nomine, iſtud peragi, & læſo id ſatis eſſe debet.

NUM. XXIV.

De periclitantibus, præſertim ex partu.

MOne populum, ut qui periculoſam navigationem, vel prælium, vel

periculum contagionis subeunt: itemque prægnantes tempestivè sibi de Sacramento confessionis, & Eucharistiæ provideant, priusquàm graviùs laborent; præsertim ex primo partu, qui solet esse periculosior: quòd si id neglexerint, aut in discrimine constitutæ velint rursum confiteri, adeas: quòd si fœminæ, quæ obstetricantur, ita impediunt; ut confitentem audire non possis, vel res ipsa non patiatur, contentus sis, pro absolutione, ut signa doloris, & desiderium confitendi, aut aliquod peccatum explicent, remotis ijs, qui necessarij non sunt, ijs verò, qui abesse non possunt, monitis, ut oculos, auresque contineant, & quo casu aliquid intellexerint, sigillum confessionis religiosè servent. quod idem dici debet de pestiferis, & vulneratis, de quibus paulò antè. Juvant parturiantes in periculo reliquiæ Sanctorum illis applicatæ, & vota ad DEI Matrem, & alios Sanctos concepta, non oberit consuluisse.

NUM. XXV.
De morientibus excommunicatis, Usurarijs, Concubinarijs.

PEr Tridentinum in probabili periculo mortis sive articulo, absolvere potes quemcunque ab omnibus casibus, quamvis alioquin Episcopo, vel Papæ reservatis sine onere, ut postea se sistant superiori pro Sacramentali absolutione: ideoque absolvere etiam potes ab omni excommunicatione, ut validè, & licitè absolvere possis à peccatis: curandum tamen, ut si pars sit læsa, damna priùs compenset, & re ipsa satisfaciat, quo optimo modo fieri possit; si non potest, absolve, ad impossibile enim nemo tenetur; valent ista maximè, si excommunicatio sit publica. admoneatur tamen semper excommunicatus, ut quàm primùm convaluerit, & commodè poterit, sistat se per se, vel alium ei, à quo alioquin erat extra mortis articulum absolvendus, quod nisi fecerit, sciat se reincisurum in eandem excommunicationem. In criminibus præter-

ea horrendis, ut falsarij, incendiarij & similibus casibus Bullæ Cœnæ, percussotibus Clericorum exigatur juramentum, quod eadem posteà non committet, sive quòd imposterum parebit Ecclesiæ, in Casibus Bullæ præterea juret de satisfaciendo parti læsæ.

De usurarijs par ferè est ratio, præsertim publicis, priusquàm absolvas, restituant: si non possunt, dent competentem cautionem fidejussoriam, aut pignoratitiam coram Notario; ut ea Episcopo, vel cujus intererit, consignari possit: quod si neque hoc possit præstare, promittant se, per se, si possint, aut hæredes quantum poterunt, facturos.

Jam verò si Concubinarius audiendus sit, dimittat priùs concubinam: si autem absque scandalo jam non possit, aut rationabilis causa excuset, promittat saltem proximâ occasione id se facturum, idque curet significari ijs, qui crimen noverunt, ne scandalizentur: deinceps verò, neque illa sola cum illo sit, neque familiariter converfetur, & utriusque animus ita sit constitutus, ut consentire in alquod

quod peccatum nolint; atque, ut non consentiant, velint precibus, alijsque remedijs se contra tentationes tueri. Si verò concubina, aut mulier peccatrix incidat in morbum, tuto loco separetur, caveaturque: ut nemo suspectus accedat.

NUM. XXVI.

De ijs, qui ampliùs loqui non possunt, adhuc tamen retinent usum rationis.

QVando moribundus jam linguæ usum perdidit, videtur tamen adhuc compos mentis, & audire, vel advertere, quæ dicuntur; imprimis per te, vel alium potiùs, cujus voci assueverit, monendus est adesse Sacerdotem, à quo possit absolvi, non minùs, ac si loqui posset, modò det signum doloris, & voluntatis confitendi ore si posset, & facere velit, cùm poterit. quæ voluntas in Catholico facilè præsumitur, cùm moribundus pœnitentiæ signa edit. Is igitur, qui ista monet, & deprehendit ægrum difficiliùs audire, admoveat se propiùs ad aurem, & id distinctè, atque explicatè significet:

caveat tamen, ne auditum obtundat, aut infirmi animum conturbet inconditis clamoribus: ideò autem monendi sunt de præsentiâ, & potestate Sacerdotis, quòd aliqui ignorent se confiteri posse aliter quàm ore, aut non advertant præsentem esse Sacerdotem, ideoque petentibns, an velint confiteri, abnuant, quasi dicerent, non possum loqui: similiter molestâ nimium vociferatione interpellati respuentis, vel renuentis signa exhibent, quasi dicerent, noli mihi obtundere, nimiùm molestus es.

Porrò signa exigi, & dari possunt nutu capitis, vel oculorum conjectu in certam partem v. g. Crucifixum, vel imaginem B. Virginis item tunsione pectoris, appressione manuum constanti &c. Quando signa exhibita sunt, si mora, & locus patitur, interroga de quibusdam peccatis breviter, & accommodatè ad statum infirmi, quibus ipse annuat, si fecit: renuat verò, si non fecit. Si numerum exprimere opus sit, digitis significetur, ita ut cæteri, si qui adsint, non advertant. Expedit signa

doloris, & voluntatis confitendi paulò ante allata te præſente exhiberi, ſi tamen id jam fieri non poſſit, ſatis eſt, ſi exhibita intellexeris à fide digno, ſive adhuc præſens ſit teſtis, ſive jam abſit, ſed tu non niſi præſens abſolves, abſolves tamen, quia confeſſus eſt, quantum potuit, atque hæc ex concilijs & ipſo Rituali Rom: Pauli V. communiſſimoq́ue uſu plusquàm ſatis conſtant. Difficilior eſt caſus, qui ſequitur.

NUM. XXVII.

De iis, qui neq́ue priùs in morbo ulla talia ſigna expreſſerint, neque jam exprimere poſſunt, quòd ratione careant.

CAſus non infrequens. Labitur, quis repentè in apoplexiam, aut ex quo, aut ex improviſo lethaliter vulneratur, neq; petiit confeſſionem, nec ullum doloris ſenſum exhibere poteſt voce deſtitutus, & uſu rationis. Quid cum iſto homine ages? in eo neceſſitatis caſu abſolvi poſſe, & debere præſertim à Parocho ſub conditione, *ſi es capax*, eum

qui Catholicè vixerit eo usque; & de quo non constet esse adhuc in affectu ad peccatum mortale, docent ex professo non pauci, neque obscuri authores apud Dianam tom: 3. de Sacram: c. 8. & 9. inter cæteros citantur Joan: à Literatis Romæ approbatus à Magistro Sacri Palatij, & Rituale Archi-Episcopatus Bononiensis: eandem sententiam tenent multi alij, quos fusè recitat Walterus Streuersdorft, S. Theologiæ Doctor, in suâ Lampade; passimque plurimi jam usurpant. Petis, quid sentiam? Istud publicè non docerem, neque tamen damnarem alios. Tu, qui Parochus es, in illâ necessitate tuis provide, quantum, & quamdiu licet. Non dubitarem licere, si prudenter putes sensibilem aliquem dolorem præcessisse in ordine ad confessionem. Non expedit autem priorum Authorum sententiam populo in Concione evulgari: ne lentiores fiant in vocando sacerdote, persuasi se etiam sic absolvi posse, cùm linguæ, & rationis usu caruerint. Verum expedit eos scire, cum in eos casus inci-

inciderint, ut subitò Sacerdotem vocent, posse tum eos juvari Sacramentis, & ijs modis, quos Sacerdotes norunt saltem extremâ Unctione, quæ talibus negari non debet: deprehenduntur enim multi in eo errore, qui putent Sacerdotes nihil ampliùs posse, cùm moriens linguâ, & ratione destituitur, qui error cum periculosus sit, per te tolli debet.

De pœnitentiâ morientibus imponendâ, nihil est quod te moneam, res ipsa loquitur, si rationis sunt adhuc capaces, & morula patitur: impones saltem aliquam, ne Sacramentum maneat imperfectum, & quàm facilè, si ore non potest, corde saltem proferent has voculas *JESUS*, *MARIA*, aut *fiat voluntas tua*, aut *credo DEus meus in te, spero in tua passione, amo te ex corde meo super omnia?* neque operosum erit formare signum Crucis, exosculari crucem, aut aliquid imponere in futurum, si convaluerint.

NUM. XXVIII.

De facultate dispensandi in nonnullis Ecclesiæ præceptis.

REducitur hæc potestas ad potestatem clavium: quare huc etiam pertinet. Duo, aut tria sunt ejusmodi; circa quæ quibusdam ex justis causis aliquid potes, non tantùm cùm causa evidens est declarando, & interpretando legem non obligare: sed etiam cùm nonnihil dubia, in iis dispensando certis casibus; ut laborandi die festo, diebus abstinentiæ comedandi cibos alioquin vetitos, sumendi duas refectiones in die jejunij; qui casus frequentes sunt, ideoque etsi dispensandi facultas resideat præcipuè in Episcopo, aut ejus Vicario: si tamen res urgeat, ut adiri, aut consuli non possit, ne animæ illaqueentur; censetur ea potestas tibi communicari pro casu saltem urgente, modò causæ rationabiles ubi sint, ut necessitas, aut ingens utilitas communis plurium, vel privata alicujus, ad laborandum in agris pro messe vel vindemiâ, cùm res postulat,

lat,

lat, aut cùm repente fit illuvies aut cùm host s imminet. Pro usu, aut esu carnium diebus prohibitis idem potes, si Episcopi authoritas exspectari non possit, judicium tamen Doctoris medici, aut morborum periti equiri priùs debet, quàm dispenses, nam quibusdam morbis carnes nocent, aut parùm prosunt: si medicus absit, rationem in consilium voca, & age quod suadet, neque sis in hoc genere durior.

Quoad duas refectiones in die jejunij faciendas ex cibis quadragesimalibus, modò aliqua causa subsit laboris corporis, aut morbi, idem potes longè faciliùs, cùm id non sit tanti, imò etiam si in loco præsens sit Episcopus, aut Vicarius, consuetudo, & usus alicubi id Parochis concessit.

Mulctam verò pecuniariam pro tuis ejusmodi dispensationibus ne imponas in tuum lucrum, sordidum hoc est: faciliùs ferrem; si in aliquod opus pium sumptus moderatos pro personæ, & rei conditione injungas, nec tamen recipies ad manum; sed alteri viro bono co-

mittes, ne in suspicionem avaritiæ venias. Quanquam author essem potiùs, si quid in locis, præsertim ubi ea præcepta minùs servantur, exigendum sit pro præcepto opere; preces aliquas, aut pia opera alia, quàm pecuniam exigas, ut libertati saltem frœnum aliquod injiciatur.

CAPUT IV.

Institutiones, & industria circa Sacrificium, & Sacramentum Eucharistiæ.

SECTIO I.

Circa Sacrificium.

NUM. I.

De obligatione ad Sacrificandum.

SIc vitam institue: ut quotidie missam celebrare possis; teneris sanè sæpiùs, quàm alij, Dominicis saltem, & festis diebus, quibus Parochiani audire obligantur: itaque per alium provídebis, si ipse sacrificare non poteris; imò etiam alijs quibusdam diebus Missam

ſam facies, ſi fundationes id requirere, vel ex tabulis Eccleſiæ vel aliunde cognoveris; prætereà toties, quoties mos benedicendi in nuptijs, aut ſpeliendi mortuum id ab officio poſtulat. Horam Miſſæ ordinariam, præſertim diebus Dominicis, & Feſtis, ne facilè immutes, niſi præmonito populo; alioquin oriuntur turbationes, & juſtæ nonnunquam querelæ.

Antequam accedas ab altare, ſi conſcius ſi tibi peccati mortalis, quantumcunque tibi contritus videaris, priùs confitere, ex Tridentino præcepto, ſi adſit copia confeſſarij, id eſt, ſi habere, aut audire ſine gravi incommodo poſſis: alioqui ſi neceſſitas urget, conteraris ſaltem; & deinde quàm primum confitearis.

NUM. II.

Pro quo Parochus debeat offerre Sacrificium?

TRidentinum ſeſſ. 23. de refor. cap. 1. docet eos, quibus cura animarum commiſſa eſt, teneri pro ſuis ovibus

Sacrificium offerre. Quare, ut minimùm in Sacrificio orare pro tuo grege memineris, præſertim cùm neceſſitates tum privatæ, tum publicæ exigunt. Præterea ſi titulus fundationis beneficij tui ſingulares miſſas ad intentionem fundatorum poſtulet, fideliter exſolves, præſertim, ſi fructus ſint opimi, & huic oneri pares. Pro reliquis Miſſis, quæ tibi liberæ ſunt, accipere poteris ſtipendium lege, vel conſuetudine juſtum: cave hîc tamen ſorditiem; qualis eſt non nullorum, qui cùm ſtipendium conſueto majus à liberali donatore acceperint, eam Miſſam per alium procurant pretio conſueto, reliquum verò ſibi ſervant; ſapit enim hoc neſcio quid nundinationis, & audio fuiſſe aliquando prohibitum: multò magis cave; ne pro unâ Miſsâ, cujus juſtum ſtipendium acceperis, pro eâdem ab alio aliquid recipias, hoc doloſum eſt, quicquid aliqui olim in contrarium ſenſerint.

✠

NUM.

NUM. III.

Quoties in die, & quâ horâ celebrandum?

SÆpiùs quàm semel intra diem non licet ordinariè: licet tamen in Natali Domini, semel mediâ nocte, iterum in aurorâ, tertiò de die: etsi privatus Sacerdos non teneatur nisi ad unam ex tribus, & illas legere possit tempore sibi commodiore: tu Paroche, quia publicam Ecclesiæ personam agis, tres leges, & quidem suis competentibus horis, ut populo commodes, nisi ratio, aut causa justa te excuset.

Prætereà si plures Parochias administres, quibus unâ missâ satisfacere non possis; sæpiùs inter diem celebrare poteris, si mos ferat, aut Episcopus consenserit. Referuntur quidem alij casus, quibus liceat Parocho celebrare in die pluries, verùm vix usus jam permittit. Porrò cùm sæpiùs celebrandum est, purificatio calicis in primâ missâ post sumptum Sanguinem non erit sumenda, ne sequentem missam cele-

bres

bres non jejunus; sed in vase, & loco honesto reserva, ut in alterâ missâ sumpto Sanguine adhuc jejunus sumas. Ut autem serves consecrandum Vinum purificati calicis in missâ alterâ, aliqui probant, quia faciunt, ego non facilè facerem: tum quia digitos eo vino ablueris, cùm funderetur in calicem, tum quia in calice ferè semper aliquid consecrati liquoris adhæret, quod vino affuso permiscetur, non licet autem, certè non decet, verba consecrationis proferri in materiam partim consecratam, partim non consecratam. Ob hanc causam in Natali Domini duarum priorum missarum ablutionem effundo in alium calicem; in tertiâ missâ post sumptionem Sanguinis vinum illud purificati calicis sumo. Suadeo tibi idem. Sunt tamen, qui primæ missæ purificationem in secundâ consecrent, & ita deinceps: quod minùs probo, ut autem purificationes illæ populo pro ablutione distribuantur, aut in sacrarium projiciantur, improbo ob reverentiam sanguinis si forte, ut fit, infuso vino sit admixtus.

Quoad

Quoad horam sacrificandi attinet, ordinaria est sub auroram, id est sesquihorâ ferè ante solis ortum, ut saltem tunc finias, itaque incipere ferè poteris duabus horis ante orientem solem: etiam tempestiviùs, si mos ferat, pro famulis, operarijs, itinerantibus. Imò si deesset hostia pro communicando infirmo moribundo, qui moram non pateretur, non video cur ante duas horas solis orientis non possis succurrere necessitati infirmi. Permittit Victoria & Layman, si opus sit, etiam mediâ nocte: non licet consecrare extra missam, aut sine veste ullâ Sacerdotali, ne quidem pro Viatico, aut fortè saltem non nisi in urgentissimo aliquo casu. Finiri autem debet missa ad meridiem, nisi gravis causa permittat differri ulteriùs ad unam horam. Legisse Primam ante sacrificium diligentiæ est, non præcepti, imò matutinum, & laudes præmisisse laudaberis, non peccabis si postponas missæ, præsertim si causa rationabilis suadeat. Consulo ut pridie ad horam 4. pomerianam Matutinum, & Laudes, Matutinū saltem persolvas: ut sis die sequenti

ti ad reliqua munia Parochialia expeditior, similemque ob causam, ut manè totum officium diei expleas, si meritò times, ne reliquus dies te alijs graviter impeditum detineat.

NUM. IV.
Sacrificaturus sis jejunus.

Ecclesiæ hoc præceptum est, & strictum, & stricti jejunij: ut à media nocte nihil cibi, potusvé sumpseris: postulat id tanti Sacramenti reverentia. Excusabere, si necessitas incumberet perficiendi Sacrificium, quod alius vel post Canonem; vel multò maximè post consecrationem ante consumptionem complere non potuit, neque alius adesset jejunus, qui id posset; aut si (quod facilè non accidet) hostia nulla esset consecrata, & dandum esset viaticum moribundo: neque aliter succurri ei posset, sunt qui permittant non jejunum sacrificare pro communicando tali infirmo; sed alij meliùs negant, quòd illi aliunde consuli possit, tum confessione sacrâ, tum extremâ unctione: ut non videatur

tur

tur neceſſitas non jejunum, ſicut neque extra Miſſæ ſacrificium conſecrare. Id ne tibi contingat; providebis, ut in pixide, aut intra corporale loco decenti, & nitido religiosè aſſerves hoſtias aliquot conſercatas pro communicandis moribundis, habitâ ratione multitudinis tui gregis: attende prætereà ne locus, ubi aſſervas, pateat animalculis, aut ſordibus: quare luſtra ſubinde, & cùm adverteris aliquam ex reſervatis tempore, vel alio vitio corrumpi, ſume jejunus, quod commodè fiet in ſacrificio, ante purificationem Calicis, & novas conſecres. Decet porro ad locum, ubi aſſervantur, lucere lampadem, quam in rem, ſi Eccleſiæ ærarium non ſuppetit, vide an colligere annuatim aliquam pecuniam emendo oleo poſſis: tanti non erunt ſumptus, tantum verò eſt hoc Sacramentum.

NUM. V.

De intentione consecrandi, præsertim quoad minores hostias pro communicaturis.

QUoad primariam sacrificantis Hostiam consecrandam facile est negotium: nam sufficienter intendis eam consecrare, eo ipso, quòd te ad Sacrificium accingis, aut ad altare accedis, & rem sacram inchoas. neque difficultas est, si etiam tum cogitaveris, & intenderis, si quæ apponentur minores, eas unà consecrare, modò tempore consecrationis tibi sint moraliter præsentes, suadeo tamen: ut intentionem in animo renoves cùm jam jamque es consecraturus. super corporale honoris causâ, & super aram sacrificij locari decet: si in pixide sint, expedit cooperculum tempore consecrationis removeri: id tamen non est necesse, cùm præsentes fiant per pixidem, in quâ continentur: secus est, si in Tabernaculo tunc essent inclusæ: non enim Tabernaculum censetur vas continens: sed arcula occludens.

Si

Si deferantur ad altare minores post oblationem primariæ hostiæ, non est necesse repetere verbaliter oblationem, modò intendas earum consecrationem; etsi alij tunc eas recusent admittere, saltem cùm nulla est necessitas communicaturis: procurandum verò est: ut minores illæ, quæ consecrandæ erunt, nitidæ sint, integræ, & à minutijs diligenter expurgatæ, ne post consecrationem particulæ facilè decidant, aut dispareant. Non placet cum hostijs minoribus jam anteà consecratis alias non consecratas in pixidem conjici, & ita permixtas consecrari: tum quòd sacras non sacris attingi, & permisceri indecens, tum quia non satis tutum formam consecrationis proferri unâ vice in materiam consecratam, & non consecratam; cùm non consecratæ à consecratis, quibus permixtæ sunt, sensu discerni nequeunt. Pixis, aut Ciborium sacris hostijs non ita ad summum impleantur: ut facilè inter communicandum excipere, aut efflari possint: eandem ob causam ne plures, in patenâ feras alios communicaturus Perplexitas in-

incidit nonnullis circa guttas vini, quæ vel extra, vel intra cuppam calicis adhærent discontinuæ ab alijs: similiter de particulis panis, quæ sunt à continuo sejunctæ, an consecrandæ sint ex intentione generali priori, & an consecratæ censeri debeant: si de intentione non constet: primò non decet intentionem ferri circa particulas ab host js integris discontinuas, aut guttas vini extra cuppam Calicis adhærescentes: cùm enim sit periculosum, ne ejusmodi particulæ, aut guttulæ excidant, non videtur id conforme menti Ecclesiæ. Si tamen intenderis consecrare, consecrasti: consultius esset ante consecrationem detergere. De guttis intra cuppam, nisi eas consecrare expressè intenderis, major est dubitandi causa, quia videtur conforme menti Christi, & Ecclesiæ: ut per pronomen *Hic* in consecratione, id totum intelligatur quod est in Calice consecrabile: saltem nisi restrinxeris mentem ad solum id, quod in Calice continetur per modum continui. Ego intendo circa contentum in Calice me confor-

formare menti CHRISTI, & Ecclesiæ. Si mecum sentias, extricabis te eâ molestiâ; quidquid sit particulas ejusmodi, & guttas simul cum alijs consecratis ante purificationem Calicis sume, ad majorem cautelam.

NUM. VI.

Quid agendum cum minutis particulis consecratis.

SI ejusmodi fragmenta consecrata compareant adhuc jejuno, constat sumenda esse ante purificationem calicis, vel saltem cum illâ: si modo sint consecrata in tuo Sacrificio: eôdem enim pertinent. Sed quid ages, si vel jam jejunus sumptâ purificatione non sis; vel certè deprehendas esse particulas alterius Sacrificij anteà completi? Si adhuc es jejunus, etsi alterius sint Sacrificij, sume ne malè pereant: si verò sint tui Sacrificij, etiam sume; quamvis jam non sis jejunus; modò ab altari necdum recesseris, imò licet interim populum aliquamdiu communicaveris: censetur enim adhuc persistere idem Sacrificium: quod

quòd: si verò prioris Sacrificij fuerint, neque sis jejunus, ne sume: sicut neque licet tui sint Sacrificij, si ab altari recesseris.

Quid ergo cum his agam, inquies? reconde sacro loco in tutum, donec in alio Sacrificio, à te, vel ab altero jejuno sumi possint: si tamen tam minutulæ essent particulæ: ut asservari sine periculo minimè possint, sume etiam non jejunus, ne malè pereant.

Si quando dubium incidat sintne tui, an prioris Sacrificij reputa pro tuis; non enim est suspicandum alterum neglexisse; nisi constet. Cùm communicandus est populus id facies ante sumptam purificationem Calicis: nam cùm remansurus sis jejunus, ejusmodi particulas quascunque sumere poteris, sicut fit cùm ciborium à minutis ejusmodi particulis expurgandum erit.

NUM. VII.

De interruptione Missæ.

SAcrificium inchoatum interrumpi fas non est, nisi graves causæ excusent,

excu-

excusant aliquæ: si ante oblationem superveniat Episcopus, vel vir Princeps, vel multitudo iter facientium die, quo ad Missam obligantur, potes ab initio repetere, ut integram audiant: si ab altari evoceris ad Baptismum, aut Sacramentum Pœnitentiæ, aut viaticum conferendum ei, qui periclitatur, neque periculum moram patiatur, relinque Sacrificium etiam peractâ consecratione, & quò necessitas vocat, propera: monebis tamen populum de causâ, ne offendatur, & statues ad altare, qui observet; ne quod Eucharistiæ periculum interim creetur. Usus quoque fert: ut post Evangelium concio interponi possit ante oblationem: interim depositâ Casulâ operam dare potes confessionibus audiendis, non procul ab altari: extra concionem verò cùm sacrificas, ne permittes te interpellari cujusquam confessione, nisi necessitas imperet; quia præterquam interrumpere Missam indecens est, fortè diutiùs te pœnitens detinebit, quàm velles cum aliorum offensione.

NUM. VIII.

De quibus monendus populus pro concione, & de Quæstuarijs, externisve Sacerdotibus.

DEnuncianda erunt festa, & jejunia, quæ intra hebdomadam incident; itemque si quæ publicæ preces, aut processiones instituendæ, si quæ alia Episcopi, vel Pontificis jussu evulganda, si publicandæ indulgentiæ, & alia ejusmodi. Bannorum præterea nuptialium proclamationes faciendæ: ut si quæ impedimenta aliqui norint, tempestivè deferant. Res inventas, aut perditas publicari in concione non probo, multò minus venditiones, aut locationes domorum: ad januam templi ista decentius remittuntur: nisi res sacræ inventæ, aut perditæ sint, aut venditiones, locationesvé sint rerum ad Ecclesiam pertinentium. Pium verò est pias causas, moribundos, & mortuos populi precibus commendare, eleemosynis verò, pauperes præsertim quidem Parochianos, sed eos etiam, qui aliunde veniunt, mo-

dò de sua paupertate, & probitate testimonium exhibuerint: si exhibere non possint, permitte saltem pro necessario victu mendicare tanquam peregrinos, modò se expediant, neque vivant improbè. Quæstuarijs attende, litteras subinde falsas proferunt fictis nonnunquam nominibus, & sigillis: prætendunt interim pijssimas causas pro vastato, aut incenso monasterio, pro exstruendo hospitali, pro redimendis captivis ex Turciâ, aut trimeribus: cave ne tibi imponant: cave etiam, ne omnes repellas: loca, tempora, & quæ ratio dictat expende, ne aut veri pauperes mendacijs aliorum defraudentur, aut quia aliqui decipiunt, innocentes ob aliorum improbitatem luant. Ordines Medicantes cùm post messem, vel vindemiam eleemosynas collecturi veniunt, ubi Episcopi consensus, aut consuetudo fert, benevolè admitte, imò etiam commenda. Eos qui inter mendicandum Imagines, aut Reliquias exosculandas populo obtrudunt, aut Reliquias, & quasdam superstitiosas preces venditando pietatem

quæstum faciunt, citò citius exesse jube. Sacerdotes, qui sive in religioso, sive sæculari habitu, se ad missam faciendam in tuâ Parochiâ ingerunt, sine litteris testimonialibus sui sacerdotij, & probitatis ne admitte; nisi ex alijs circumstantijs prudenter, & Sacerdotes, & probæ vitæ esse cognoris. Episcopi pridem prohibuerunt.

NUM. IX.

De requisitis ad celebrationem.

CUjusmodi debeat esse altare, quibusque rebus instructum, qualis calix, patena, corporale, vinum, panis, in quibus fieri oporteat sacrificium, qui ritus adhibendi, & quâ ratione supplendi defectus, si qui acciderint: exactè perscribit Missale Romanum. sine sacris vestibus sacrificare piaculum est, neque facilè casus occurret, quo id liceat. Denique in ijs, quæ in Missali præscribuntur, apprimè sis versatus; Lege, relege: ea verò quæ 1. p. c. 6. te monui circa templi, altarium, vasorum, vestium cæterarumque rerum sacrarum munditiem, ac nitorem sanctè observa,

SECTIO II.
De Communione populi generatim.

NUM. X.
De pueris, & rudibus ad ſacram Communionem parandis, & inſtruendis.

EXpedit plurimùm: ut vel anno ineunte, vel ſub initium quadrageſimæ cum Æditũo, aut viro alio gravi ſingulas ædes Parochianorum tuorum obeas, & catalogum conficias tum eorum, qui aliquando communicarunt; ut an ſatisfaciant præcepto communionis Paſchalis rationem inire poſſis: tum eorum, qui necdum quidem ad ſacram menſam acceſſerunt; videntur tamen reddi poſſe capaces, atque idonei. Sunt autem hæc ferè, de quibus diligenter inſtruendi ſunt, vel in templo cùm doctrina Chriſtiana traditur, vel privatim in ſcholis à Magiſtris, aut domi à parentibus. 1. Quid ſit Sacramentum Euchariſtiæ, quid contineat, quòd in illa communicantes non

jam panem aliquem profanum: sed sub specie panis Christum sumant. 2. Sub una specie totum Christum, totumque Sacramentum sumi. 3. Id quod Laicis sumptâ sacrâ Hostiâ præbetur, non esse Christi sanguinem: sed vinum non consecratum; ut eo liquore faciliùs sacra Hostia per fauces in stomachum trajiciatur. 4. Cavendum, ne vel minimam particulam Hostiæ excidere sinant, nimirum totum Christum æquè in particulâ minimâ, atque in magnâ Hostiâ contineri. Monendi prætereà; ut cum conscientia peccati mortalis accedere minimè audiant, proditoris Judæ hoc sacrilegium fuisse; ideoque probent se antè, & sacrâ confessione, si opus sit, expient. 5. Ita sint jejuni ut à media nocte, nihil omnino aut cibi, aut potus ad stomachum transmiserint. 6. Corporis habitu, & situ ad pietatem composito, & quâ par est, fide, humilitate, modestiâ, reverentiâ ad mensam sacram accedant capite non abjectè demisso; sed decenter erecto, oculis submissis, ore non hiante, neque occluso: in sacram Ho-

stiam

ſtiam non irruant; ſed è Sacerdotis manu, linguâ nonnihil ad labium exteriùs protensâ excipiant, dentibus non terant, eâ verò ſumptâ aliquid temporis permittant orationi, neque mox excreent, neque ſtatim foras ad confabulationes, aut cibum ſumendum exeant: eum deniq́ue diem in rebus divinis, ac ſacris operibus piè tranſigant: multa in hoc genere non tantùm à pueris; ſed etiam grandioribus; præſertim ruſticis, & ineruditis peccantur: duo præſertim inculcanda; unum ut fœminæ, præſertim puellæ ditiores, non veniant comptulæ, & ad vanitatem compoſitæ: ſed velatæ, & in modeſto veſtitu; multò minus cervicem, aut pectus denudent, non decet: neq́ue cautum eſt, ſi caſu Hoſtia ſacra, vel particula illius decideret? alterum eſt, ut communicaturi manus junctas teneant, neq́ue ori, aut illas, aut ſtrophiolum ſumptâ Hoſtiâ admoveant: deprehenſi enim, qui Euchariſtiam ore receptam ad horrenda flagitia extulerint: quòd ſi ori manus admoverit: non ægrè pati debebunt: ſi abſtinere ab eâ re jubean-

 bean-

beantur. Multùm autem refert, primùm communicaturos ista omninò diligenter prænosse: ferè enim ita pergunt; ut cœperint.

Porrò certa ætas definiri non potest, quâ, qui adoleverint, ad sacram communionem admitti debeant, aut ex præcepto Ecclesiæ ad eam teneantur. Exspectanda enim præter necessariam hujus mysterij notitiam, discretio & maturitas quædam tum judicij, tum morum; quæ alijs citiùs, alijs tardiùs obuenit: quidam anno decimo maturescunt, alij ne duodecimo quidem: alij educati honestiùs aut à Parentibus, aut Magistris edocentur; alij Parentum, vel Magistrorum incuriâ, aut inscitiâ hebetes adhuc sunt, egentq; ætate, & eruditione longiore. Hoc certum est, plus ad sumendum dignè hoc Sacramentum requiri prudentiæ, & gravitatis, quam ad Sacramentum pœnitentiæ. Si puer tibi ignotus se ad Communionem temerè præsentet: quære an sit confessus, & instructus; Apud Dianam opinio est nonnullorum non teneri pueros ante pubertatem præcepto Ecclesiastico: verùm

præce-

præceptum Confessionis mortalium, & Communionis in articulo mortis non Ecclesiasticum: sed Divinum est; ideòque pro eo tempore, qui capaces sunt, etiam ante pubertatem tenentur.

NUM. XI.

Ad quid communicans attendere debeat.

SÆpè in administratione hujus Sacramenti errores graves accidunt: si minister ad rem non sit valdè attentus; nihil enim faciliùs: quàm ut particulæ sacræ desiliant, aut excutiantur, præsertim cùm simul multis administrandum, ijsque rudibus, & inattentis: quò tibi incumbendum magis, ne aut præcipitanter, aut temerè negotium tam serium tractes. Advertendum igitur, ne dum sacram Hostiam porrigis, ad labia, aut dentes allidas, aut ne digitos saliva inficias; si madefeceris purificatorio deterge, priùs tamen vide, ne quid sacræ Hostiæ tibi adhærescat, quod tibi excidat: eandem cautelam adhibe cum finitâ communicatione digitos in vasculo abluis: si, autem adhæ-

rescentem digitis particulam adverteris, vel sume, si es jejunus; vel repone in ciborium, si non es jejunus: Multum facit ne particulæ excidant: Si (quod superiùs monui) cures hostias minores, priusquàm consecrentur, esse mundas, atq; à minutijs cohærescentibus diligenter perpurgatas, uti & Ciborium; quod proptereà expurgare subinde debebis, cùm fragmenta in eo deprehendes, aut ejusmodi minutiores particulas. Expurgandi autem hic modus esse potest; hostias integras sepones interim: post sumptionem Calicis, vinum accipies in Ciborium, vel Pixidem, in quâ eæ sunt particularum minutiæ; eam ablutionem primam, & deinde secundam effundes in Calicem pro ablutione illius, & sumes, & tùm si quas integras seposuisti, repones in pixidem, sive ciborium. Porrò si qui defectus acciderint inter communicandum, Missale Romanum consule, & errores emenda.

De hostia tui sacrificij majore, ne partem communicaturo dividas, mos Ecclesiæ non patitur, nisi gravis aliqua causa

causa excusaret: neque pro tuo sacrificio particulam consecres, æquè mos repugnat, & populus offenderetur, si in missâ particulam elevares adorandam.

NUM. XII.

Quibus danda, aut neganda Communio.

AMentes à nativitate, & pueros alios necdum sufficienter instructos arce ab hac mensâ: nam mos particulas sacrarum Hostiarum remanentes distribuendi pueris jam exolevit; curandum tamen: ut pueri, si de vitâ periclitentur, instruantur, & præcepto divino satisfaciant. Omninò fatui etsi aliquando ratione usi sunt, repelluntur, nisi in intervallo lucido deprehendantur, & modò credantur ad sumendam Eucharistiam dignè dispositi; neque periculum subsit irreverentiæ. Semifatuos admittes si petant, & utcunque instructi de mysterio hujus Sacramenti, & ritè similiter dispositi videantur, saltem cùm urget præceptum vel Ecclesiæ circa Pascha, aut divinum in mortis articulo.

A dæmone obsessis, nisi quid aliud obstet, cùm res postulabit, Eucharistiam imperties, itemque damnatis ad supplicium mortis: indecentia præcaveri, si aliquot horis ante supplicium prævertas, & des jejuno, si neque ista prævisa, aut provisa sint; non video quid magis illos jejunium fractum impediat, quàm alios è morbo moribundos. Carnifices, Lictores, Leprâ, Cancro, alioque morbo contagioso, vel horrido infectos, malim ut privatim communices, aut saltem è singulari vasculo ablutionem accipiant: ne alijs periculum, aut saltem horrorem, & stomachum moveant.

NUM. XIII.

De arcendis publicis Peccatoribus.

SI quis notorius adhuc peccator, id est publicè habitus pro homine existente in statu peccati mortalis, publicè Eucharistiam petat, nega: indignus est, quamdiû publicè constat esse impoenitentem: multo magis si privatìm petat peccator, sive notorius alijs, sive tibi privatìm

tùm sit notus: modò id ex solâ confessione sacramentali non acceperis: si verò occultus peccator publicè petat, permitte; ut famæ illius parcas, aut ut hominum perturbationi, & scandalo obvies. *Dabo*, inquies, *Sanctum canibus?* viderit ille: ita Christus ipse Judam sui proditorem, quia occultus adhuc erat, & publicè petebat, admisit: exemplo præivit, ut idem faceres. Porrò peccatores hoc loco non vocantur; qui eousq; peccârint graviter, etiã id notorium sit; sed qui vitam improbam vivunt, & improbitatem suam quasi profitentur, ut sunt præcipuè Usurarij, Concubinarij, Meretrices, Histriones, qui ex professo turpia exhibent, Parasiti, qui dicterijs jocosis alienam famam rodunt, aut peccatoribus adulantur, exercentes torneamenta periculosa, & ejusmodi: Item, qui in excommunicatione rebelles Ecclesiæ persistunt. Jure notorij habentur illi, qui vel crimen suum in judicio confessi, vel de eo convicti fuerint; publici autẽ facto, qui eo loco, tempore, ac modo flagitiũ suũ perpetrârunt ut celare objicienti, aut tergiversari non possint; vel

tam violentam suspicionem alijs moverint, ut quasi certò commissum crimen constet. Hos itaque optimo modo, quo poteris; si publicè petunt: donec ijs, coram quibus petunt, tibique ministro, de pœnitentiâ, & emendatione constiterit, facesse jube. Si autem privatim petant, quamvis privatim nôris, ne tunc quidem admitte, neque ullum alium privatim petentem, quem meritò putes, aliundè quàm ex sigillo confessionis adhuc in statu esse peccati mortalis: nam indignis quantum fieri potest, Sacramenta conferre non debes: ne sis minister infidelis.

SECTIO III.

De Communione graviter infirmorum, seu, quod idem est, de Viatico.

NUM. XIV.

De morbo contagioso infectis.

PEstiferâ lue periclitanti Viaticum ne denega: hic iterum habet locum illud boni Pastoris: *Bonus Pastor animam suam*

suam dat pro ovibus suis: nam licet hoc Sacramentum minùs sit necessarium, quàm Baptismus, aut Pœnitentiâ: maximum tamen momentum habet ad bene, feliciterque moriendum: ex quo momento pendet æternum. Quanquam non usque adeò præsens tibi inde periculum, neque magnoperè pertimescendum video: si (quod facilè fieri potest) diligentiam, curamque adhibeas, ut malum prævertas, aut amoliaris. Imprimis si ijs remedijs, & modis utare, quos ex Medicorum, & prudentiæ præscripto recensui; cùm de pestiferorum Confessione agerem: si utaris tersâ veste, neque linteâ, quæ venenum faciliùs attrahit, & servat; si non jejunus, si munitus alexipharmacis, quæ facilè haberi possunt, ad infirmum accedas; si ad limen deportari is possit, ubi ad mensulam è sacro linteolo, aut patenâ sacram Hostiam ore quasi lambendo sumat: verùm nescio an id in usu sit, & fortè erunt qui improbent, linteum illud deinde comburi, patenam ablui curandum foret. Expeditius etiam fiet, si Hostiæ sacram par-

particulam liquori immittas, quem infirmus hauriat, ex suâ alienâve manu. Certè constat primos Christianos Eucharistiam linteolo excepisse, ac secum domum deportasse, & per se sumpsisse tempore persecutionis; quæ tunc, eadem hîc excusare potest necessitas; sed vereor ne quis hoc etiam improbet. Sunt, qui utantur bacillo oblongo, in cujus extremitate lunula argentea sacram Hostiam ori infirmi admoveat, aliquo, si opus sit, dirigente; ut tutò excipiatur: eo tamen instrumento ut tu prior utaris non admodum consulo, ut neque modis suprà allatis, inconsulto Episcopo: malim, quod religiosiùs, & magis in usu est, converso vultu ad eam infirmi partem, unde aura minùs afflat, & nonnihil averso ab contagioso halitu, face ardente ab alio admotâ ipse extremis digitis Eucharistiam ori communicaturi admoveas, mox digitos ad flammam lustres, aut probè aquâ diluas: cùm verò domum reverteris, vestem muta, & vel ad ignem, vel in aqua venenum, si quod contraxit, expies, priusquam ipse contrahas. Quod si verò ns

iftis

iſtis quidem remedijs, & medijs ſatis tuæ vitæ cautum exiſtimes, plurimoque te metu angi ſentias, ſunt qui tibi indulgent, ut propiùs non accedas, præſertim ſi tuo ex periculo periclitentur plures, quibus conſuli per alium Sacerdotem non niſi tardè, aut ægrè poterit: quod eo caſu minùs ægrè conſenſerim; ſi infirmus peccati gravioris minimè ſibi ſit conſcius, aut quòd faciliori via & minori periculo ſit; ſi eminùs abſolui à peccatis poſſit, & Viaticum acceperit.

NUM. XV.

De phreneticis, & uſu rationis carentibus in vitæ periculo conſtitutis, & ijs qui ſine Sacramenti irreverentiâ non videntur Viaticum ſumpturi.

SEmper attendum Parocho, ne fiat irreverentia Sacramento: ut ſi periculum ſit vomitûs ex medicinâ: vel aliunde; aut exſpuitionis; aut ne ſpecies deglutiantur. Igitur Phreneticis, alijſque ratione carentibus, ſi Euchariſtiam petierint pro Viatico, modò credantur diſpo-

dispositi, neque spes sit sanioris mentis, negare non debes, si modò sine irreverentiâ Sacramenti accipere posse videantur. Subest autem hoc periculum si meritò timetur, ne expuant; ut facilè Phreneticis accidit, aut ne evomant, ut facilè accidit ijs, quibus stomachus omnia respuit, aut qui continuò vehementer extussiunt, aut sanguinem ex intimis excreant; aut si periculum, ne trajiciant; ut fieri ajunt ijs, qui à rabido cane fuerint demorsi. Vitandum tamen hìc alterum extremum; ne plus æquò scrupulosè judices. Non enim qui aliquando exspuunt omnia, & semper exspuunt. neque quibus stomachus respuit cibos, aut potum, statim illam speciei panis particulam eijciet, etsi fortiter extussiat, aut sanguinem excreet: nam quod in stomacho est tantillum; non æquè abit cum tussi, aut sanguine: si aliunde quàm de stomacho effluat: medicorum, & domesticorum sensus explorandus. juvat etiam experiri in dubio, particulâ panis communis priùs datâ, & sumptâ; ut de sacrâ particulâ idem judicium

cium feras pro Viatico, item si à majore particulâ metuis, minimam divide, & cum liquore modico, quo infirmus ad potum utitur, de cochleari præbe: multis usus docuit istud successisse, quòd ne fieret metuebant. In dubio perstante censeo potiùs Sacramenti rationem habendam. Non censetur irreverentia illius, si infirmus jaceat loco immundo, aut malè olenti, cùm efferri aliò, aut locus decentior haberi non potest non probo deferri Eucharistiam, cùm nulla spes concipitur illius sumendæ ab infirmo: sed eâ tantùm causâ: ut ad solatium duntaxat Christum præsentem adoret, imò prohibitum est; ne Eucharistia solius adorationis causa ad infirmum deferatur, satis erit desiderium Communionis. Quòd si fortè præter spem conceptam, aut exspuatur, aut evomatur Sacramentum, quid eô agendum, docet Missale Romanum de defectibus in Missâ occurrentibus; si accidat ut infirmus moriatur, cùm adhuc hostia, vel pars ejus in ore est necdum transmissa, extrahes quâ arte, & quantâ reverentiâ pote-

poteris, & vel sumet in sacraficio jejunus, si non abhorres; vel loco sacro diligenter asservabis, donec species ita alterentur: ut alia planè substantia appareat, quam combures, cineresque proijcies in sacrarium.

Si verò Hostia transmissa sit quidem: sed necdum putatur consumpta, nihil movebis; nam quid ageres? Moribundus voluit confiteri, indignum reperis, non absolvis; petit communionem; da indigno, si aliunde indignitatem ipsius non noveris: mone tamen priùs, & obtestare iterum iterumque ne indignus sumat. Non petit ipse; sed petunt domestici, quid dices? dic te paratum, si ipsi desiderat: si ajunt desiderare, redi, & roga an petat: si annuit: postula facultatem; ut tibi liceat verbum facere, de confessione factâ, si renuat, & tamen communicare omninò velit, præbe non vitam: sed mortem volenti, neque jam tergiversari potes extra confessionem, ne sigillum frangas: miserum hominem! sed non tuâ culpâ, vitio perit suo. Stude tamen efficere, quantum potes pro illius salute.

NUM.

NUM. XVI.

Modus disponendi infirmum ad recipiendum Viaticum.

SI aliquando in vitâ; profectò in periculo mortis maximè res, tempusque, atque jus ipsum divinum postulat: ut Christiani Sacramento se Eucharistico obarment, cùm vires corporis, & animi ex vi morbi elanguescunt, cùm longum æternitatis iter truculentissimis hostibus obsessum ingrediendum est: nam quid alioquin miles in decretorio agone aget, aut tam periculosæ viæ se committet, nisi tempori arma, necessariumque commeatum comparârit? hoc autem est homini in periculo constituto Eucharistia, Clypeus, Hasta, Viaticum: ideòque Nicæna Synodus sanctissimè decrevit in hæc verba: *Cum ijs, qui ad extrema veniunt lex antiqua servetur: ut ultimo, & necessario Viatico non defraudentur.* Quibus verbis significatur legem illam & divinam esse, & illius usum ad ipsius nascentis Ecclesiæ incunabula referendum. Sunt tamen non pauci, licet mortem non pro-

cul

cul abesse sentiant, qui à tam necessario (ut Concilium loquitur) Viatico abhorrent, & quantum possunt, vel omnino refugiunt, vel ad extremum tempus rejiciunt, quo fit, ut non pauci sine Viatico discedant. Ea scilicet ars est atque fraus dæmonis; id verò agit cavillationibus, & fallacibus argumentis, non similibus ijs, quæ ad procrastinandam confessionem suprà vidimus, & refutavimus: operæ pretium est te ea quoque nosse, & populo pro concione proponere: ne ijs se in morbis eludi sinant. Hæc autem ferè sunt, quæ ab infirmis obijci solent. Ergo de vitâ actum est, si contra mortem armari jubemur: abeundum, de viatico agitur: atqui anima adhuc tota est in me, mens integra, necdum oculi caligant, aut cervix labat, aut manus languent, aut pedes rigent; stomachus etiamnum officium facit: cras, aut post cras videbimus: finite nunc me vivere. DEus meus humile hoc tectum subeat? non decet. exspectabo, aut ipse prope diem adibo; nam qui erunt hominum sermones & concursus: si Sacerdos

dos solenni pompâ, & pulsu huc cum certo mortis nuncio advenerit? amici veluti ad naufragium, aut incendium accurrent molestam opem delaturi, creditores petitione & assecuratione debitorum enecabunt; alij ambient officia, & honores; quibus cum vitâ defungi me credent: quid me ante tempus occiditis? finite me. Ita dum procrastinatur; extrema, & mors ipsa imminent. Quid tandem! jam verò, inquit procrastinator ille, serum est, vix sum mihi præsens, & catarrhus, & tussis, & stomachi nausea impediunt, ne quo deberem pietatis sensu sumam, jam vix possum, ac nec possum quidem. Vereor præterea non jejunus sim, aut ne per fauces transmittam, aut exspuam, aut evomam. At tu contrà ad populum pro concione publicè, privatim verò, cùm ad ejusmodi animo magis, quàm corpore infirmum accesseris, hæc oppones: Christi corpus vitam animæ, non corpori mortem adferre, aut accelerare: Hæmoroissam duodennio laborantem unico tactu fimbriæ vestimenti Christi

fuisse

fuisse sanatam; multos, de quorum vitâ conclamabatur, ex hujus arboris vitæ fructu valetudinem recuperasse: Christum minimè dedignari subire etiam humiles casas: cùm ipse adiri per valetudinem non potest: Audito morbo de puero Centurionis. *Veniam*, inquiebat, *& curabo eum*. Venit, intravit. Verùm quid homines, ais, dicturi sunt? dicant quod velint: quia parùm te curant, nihil cura: non illorum; sed res tua, imò summa totius rei agitur. age quòd vel maximè tuâ interest. Si concursum aut amicorum, qui molesti consolatores sint, aut creditorum, qui debita exigant, refugis: modus in promptu est, jube abesse, quòd somnum, aut quietem cantes; roga ne ad morbi molestiam importunos sermones adijciant. Honoribus tuis non potientur, donec simul vitâ fungaris, quantumcunque ambiant, quid te eare angis? impedior, inquiebas tu, à jejunio, perturbatione mentis, à catarrho, tussi, stomacho.

De jejunio quid te vexas? tibi est quantumvis jejunium solveris; quando necessi-

necessitas id exigit. mens verò si necdum amota, aut implacida, aut sit per intervalla interlucens, satis sana, valensque est: ut, quantum vis morbi sinit, sis ad susceptionem Sacramenti comparatus: Dic ex intimo animi sensu: *DEus meus, credo tibi, spero in te, amo te ex toto corde:* plurimùm orasti: Medici, & alij prudentes de Sacramenti transmissione, de periculo exspuitionis, aut vomitus discernent, fortè particula sacra consecratæ Hostiæ cum modico quopiam liquore trajici poterit: aliorum potiùs quàm tuo judicio acquiesce, cur plus æquò trepidas? Ex his, mi Neoparoche, habes, quæ usui tuo esse tùm publicè, tùm privatim possint. Utere.

NUM. XVII.

Modus deferendi Viaticum.

MOneas populum; ut cùm Viaticum deferendum est, locum, in quo infirmus jacet, emundent, & pro suo modulo exornent, mensulamque coopertam decenti linteo, effigie Christi in cruce pendentis, cereo uno, al-

teròvé lucente, vasculo aquæ lustrali
& altero ad ablutionem oris infirmi po
sumptam sacram Hostiam; ritè instrua
dum interim infirmus se per actus Fid
Spei, Amoris, desiderij suscipien
Christum, ad dignam deniq́ue Comm
nionem per internas, aut vocales pr
ces præparat, aut ab alijs, si per se no
possit, piè disponitur. Deferes aut
indutus veste Clericali, superpellice
& stolâ, præeunte uno saltem minist
cum lumine, & campanulâ, sequen
bus aliquibus è populo, si commodè h
beri possint, quam in rem, ut sint fac
les, & prompti pro concione exhort
beris. Modus procedendi is sit, qu
requirit tanti Sacramenti fides, & dig
tas. Quare deferendo solennitatem
mnem religiosè serva, quam Liber R
tualis præscribit: nisi aliud suadeat,
permittat itineris, aut festinationis v
gens ratio: si morbus urget, festina q
dem; imò etiam contende celeriùs, a
hibito tamen semper studio reveren
Sacramenti, & vitandæ aliorum off
sionis: Si locus longiùs distet, si fit a
du

duus, cœnosus, lubricus, è collo corporali sacram Hostiam bursulâ inclusam gestare poteris, ne aut lasseris nimiùm ferendo, aut ne periculum sit: ut cadens Sacramento injuriam inferas: equo etiam uti licitum erit, si opus sit, modò is non sit indomitus, aut sternax. Si per loca periculosa, aut infesta, sit incedendum, ubi hostis aut latè grassatur, aut ij, quibus cum habes inimicitias, vitæ tuæ insidiantur, neque armatos habere possis, qui te tueantur; clàm arma gestare potes, quibus vitam tuearis contra invasorem: Sanctiùs facies tamen; si tu ab armis abstineas: juverit populum moneri: ut cùm pericula subsunt tibi, & Sacramento: de die, & tempestivè potiùs vocent; quàm noctu, & tardè: si tamen aut neglexerint, aut necessitas opinione citiùs oppresserit, ne vocare desistat: te quidvis passurum potiùs, quam ut officio desis.

NUM. XVIII.

Modus conferendi Viatici.

CEremonijs Ritualis exactè observa-

bis, quantum temporis, & morbi rat
patietur. Mox ut tecto subieris, Christu
adorandum infirmo propone, sciscit
re, an sumere desideret, an nihil occu
rat, quod de re ad conscientiam pertine
te ante sumptionem tibi dicendum pu
tet: quòd si aliquid gravius infirmo occu
rat, audies quantum fieri potest; brevite
quidem, si præsentes longiori confessi
onis morâ scandalizarentur: deinde ve
captes occasionem; ut suppleas. Sed u
hæc incommoda vitentur, consultius e
præmitti confessionem, antequam viati
cum deferatur. tum verò brevi exhor
tiunculâ excita infirmum ad fidem, spem
charitatem, devotionem erga Christu
præsentem: deinde communica: digito
lustra, si quid fortassis sacræ Hostiæ ad
hærescat, id vel ori illius decenter impo
ne, vel tuo, si sis jejunus, neque deinde
sacrificaturus: vel certè cum ablutio
illi præbe; attende ut Hostiam deglutia
subinde enim difficile est ob palati
& linguæ siccitatem: ideoque consultu
est; ut quibus exsuccum est os, antequà
Sacerdos adsit, proluant, & humecten
Quo

Quod de ablutione reliquum erit, postquàm digitos, etsi nihil adhæserit, reverentiæ tamen causâ intinxeris, & Purificatorio deterseris; religionis quoque causâ, vel sumi, vel in ignem, aut locum sanè mundum, immitti jube: non autem in terram veluti aliquid profanum abjici. Ante discessum hortatiunculâ brevi mone infirmum: ut tanto hospiti pro tam divino beneficio gratias agat, in relationem gratiæ se ei totum tradat, atque resignet: deinceps verò in ipsius gratiâ se diligenter conservet, neq; ulli aut tentationi, impatientiæ, aut peccato graviori consentiat; sed contrà protestetur, ac sese obfirmet orationibus suis, & aliorum; crebrâ exosculatione Crucifixi, & aspersione aquæ lustralis: præterea identidem à viris bonis, & si fieri potest, Ecclesiasticis, ac Religiosis se visitari curet: denique, ut si necdum de rebus suis disposuerit; disponat, & testamentum condat invocato DEi auxilio, & animo ita constituto: ut sepositis odijs, aut humanis respectibus purè, & sincerè hæredem scribat, & legata pia pro animâ suâ in pias causas ita ju-

beat: uti in die judicij sui DEo rationem reddere statuit. Ante omnia jubeat, debita solvantur, aliena restituantur: tùm præscribat: ut Missæ, eleemosynæ, preces, aliaque pia opera pro animæ salute exsolvantur: si hæredes habet de Jure, & juxta Leges dividat: item claris, & apertis verbis; ut litibus janua præcludatur: habeat autem specialem rationem, quantum æquitas sinit, consanguineorum pauperiorum: denique executores testamenti constituat, adhibeatque notarios, & testes, & peritos, & probos. Commodum enim est hoc tempus; cùm creditur adhuc esse compos mentis, & sumptâ Eucharistiâ conscientiæ suæ rationem habiturus, estque id ad majus meritum; si tunc testetur, cùm est in statu gratiæ, atque ex hoc opere tanti momenti, apud DEum plurimùm mereri potest: unde si deprehenderetur testamentum fecisse, cùm excidisset DEi gratiâ, suadendum esset; ut ratificet coram DEo post confessionem Sacramentalem, ne eo merito careat. Porrò quod ad testamenti solennitatem per-

pertinet, scies quid eò loci leges, aut consuetudines requirant. Hæc res cum plurimùm valeat ad vitandas post mortem rixas, lites, scandala; aliena à curâ tuâ non est; imò tibi specialiter incumbit, ideòque cùm aliter fieri non potest, ex officio, adscito publico Notario, aut testibus aliquot, conscribere testamentum fas jusque sinit; expedit tamen potiùs à testamentorum condendorum peritis id agi: constat enim ex neglectis ijs, quæ jure inesse debent in formulâ testamenti, plurima deinde incommoda enasci. Ubi hæc tum infirmo, tum, cùm expediet, domesticis, & amicis commendaveris, speciatim; ut attendant ne si infirmus graviùs periclitetur, extremam Unctionem negligant, aut si advertant egere, ne omittant Sacerdotem ad solatium animæ, & ad preces pro felici exitu faciendas revocare; Valedices datâ benedictione, & pacem apprecatus: ut tamen curam omnem non dimittas, inquires subinde; quî cum infirmo agatur, & cùm è re judicabis, revises, præsertim cùm intelliges de vitâ periclitari.

NUM. XIX.

Quo tempore, & quoties debeat dari Viaticum durante morbo.

QUavis horâ etiam noctis, etiam non jejuno Viaticum porrige, si infirmus horam commodiorem, aut jejuno stomacho exspectare non potest, sine periculo præoccupaturæ mortis: neque verò exspectanda est ultima vitæ periodus; censetur autem versari in mortis articulo, qui judicio Medici, aut Viri prudentis de vitâ periclitatur, is enim est in procinctu ad iter æternitatis, eget igitur Viatico. neque uno satis est; si diutius supervivat: quare si ab eo sumpto interfluxerint sex, aut octo dies, boni Theologi censent iterum dari posse, si petat etiam non jejunus, si modò jejunus accipere non possit, & sit in præsenti vitæ discrimine. Nam si infirmus sit jejunus toties sacrâ Euchastiâ refici potest, quoties rationabiliter desiderat, & petit: ut verò frequentiùs id fiat à jejuno, & majoris est meriti & solatij: præsertim si domi, vel in viciniâ sit templum, vel sacra ædicula: unde sine tantâ molestiâ, & strepitu conferri possit.

CA-

CAPUT V.

Circa Extremam Unctionem.

NUM. I.

De quibus populus instruendus.

QUia hoc Sacramentum ferè nonnisi semel, & quidem in extremo vitæ confertur, & pleriquе non modo è plebe: sed etiam ex optimatum numero non satis intelligunt, quid rei sit, quantum valeat, & quando, quové ritu conferatur: non pauci negligunt, aliqui etiam ab eo abhorrent: quo fit, ut plurimi sine eo Sacramento moriantur ingenti nonnunquam animarum damno. Proinde captabis occasiones subinde, sive in concione, sive in Catechismo disertè, ac luculenter populum instruendi, & ad hoc Sacramentum adhortandi. Instructionis hæc sunt capita. *Primò*, Verum ac propriè dictum esse Sacramentum a Christo institutum, à Sancto Jacobo promulgatum clarissimis verbis. c. 5. *Infirmatur quis è vobis, &c.* atque inde perpetuo usu huc usque inter Catholicos usurpatum. *Secundò*, Conferri

ferri à Sacerdote omnibus ijs, qui ex morbo de vitâ periclitantur, neque nisi semel durante eodem morbo conferri. *Tertiò*, Præter preces Ecclesiæ, sacro Oleo ungi præcipuè quinque sensuum organa, quòd per eas potentias anima tentationum, & peccandi occasiones hauriat, ideòque inter unctiones sacras hæc verba proferri, *per hanc sanctam Unctionem, &c.* quia verò Oleum istud benedictum fuit, & adhibitum ad Sacramentalem unctionem, partes unctæ detergunturvel bombaceo, vel stupâ, aut si ea desint, linteolo mundo: digiti verò Sacerdotis sale cum crustâ panis fricentur, & aquâ laventur: ea materia, quia oleo imbuta, incendatur, aqua verò in locum mundum effundatur ob reverentiam rei sacræ: quare, qui vocant Sacerdotem, curent: ut ista in mensulâ cum lustrali aquâ, & Crucifixo parata sint. Porrò ex his finem hujus Sacramenti, & quid, quantumque in extremo illo agone, vel valeat, vel efficiat facilè deduci, & intelligi potest. *Quartò*, Tres illius effectus S. Jacobus loco citato expressit;

pressit; unus, isque primarius, qui per olei Sancti unctionem significatur, est Corroboratio animæ ad fortiter & constanter decertandum in extremâ illa luctâ contra vim morbi tunc maximè sævientis, horrorem imminentis divortij animæ à corpore; insultus, majoresque machinas, quibus Dæmon videns sibi parum temporis superesse extrema tentat; ut animam in peccatum aliquod gravius præcipitet, victorque evadat: quæ pugna, quàm gravis, acerbaque sit, vident, qui spectant: hinc enim illi gemitus, suspiria, ejulatus, vociferationes, sudores, lachrymæ, agitationes, succussiones, deliquia. Hîc quid ageret homuncio, præsertim jam propemodum Exanimis, nisi divinâ gratiâ, quæ per hanc sacram unctionem ex meritis Christi confertur, animos, viresque acciperet, quibus velut unctus Athleta morbi istas molestias, horrorem mortis, Dæmonum tentationes superaret? ut verò superet, tanti refert, quanti est æterna salus. Alter effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum ve-

nialium, & pœnæ alicujus ex commissis peccatis relictæ; atque ita animæ egredientis è corpore expeditior in cælum ingressus, qui fructus sanè non est contemnendus. Denique si expediat, per eam extremam unctionem, salus etiam corpori adfertur: hinc multi sacro oleo uncti valetudinem pristinam recuperant, pluresque recuperarent; si citiùs se ungi curarent, tunc scilicet, cùm natura nondum est ita prostrata: ut non nisi miraculo restitui possit: quod Card. Bellarminus observat. Ultimò instruendus est populus; hoc Sacramentum non esse ad redimenda per se peccata mortalia: ideòque suscipiens, si sit sibi conscius peccati mortalis, & possit, debet confiteri, aut saltem conteri. Hæc si diserte, luculenterque populum edoceas, diligentiores, & ferventiores in procurando sibi tam salubri ad benè moriendum remedio experiere.

NUM. II.
Refutatio argumentorum quibus nonnulli utuntur, ut extremam unctionem differant, aut nonnulli etiam recusent.

AT nullum, inquiunt, exstat præceptum neque Christi, neque Ecclesiæ, quo ad extremam illam unctionem adstringar: alij admittant: nihil prohibeo, mihi verò homini jam omnia nauseanti non sapit oleum, imò etiam bilem movet; quia certam jam, & vicinam mortem denunciat: itaque ille Fatalis nuncius, illa fax funesta, illæ mortuariæ preces, omnis illa sensuum unctio, adstantium gemitus, luctus, pallor, aut silentium, aut valedicentium voces conturbant: jam confessus sum, jam Eucharistiam sumpsi, debui: cætera ista, ceremoniæ sunt minùs necessariæ, neque jam opportunæ, quid me urgetis? Jam me habebunt omnes ipsius Medici, & Ecclesiæ opinione deploratum, atq; post pauculas animæ spirantis reliquias exspirantem. Itaq; ululabunt domestici, proles, & uxor complorabunt: &

& quasi me mortuo convolabunt creditores, arculas occludent, & tantùm non pernecabunt. Hæc illi, qui utcunque sibi sapere videntur. Sunt etiam nonnulli ex rudioribus qui recusent, quòd sibi, cùm convaluerint, posthac nefas fore ducant nudo pede humum attingere, ornatis vestibus indui, choreas ducere. At tu levia hæc argumenta sic dissolves. quid ag's bone vir? nam ita loqui mihi videris, ac si contemneres: hoc autem piaculare est: non teneris suscipere: sed aspernari non debes: non aspernor, inquis, sed tamen horreo desperatæ vitæ nuncium, at quid horres? periculum ipse sentis, neque mortem adferet istud, neque accelerabit, imò si expediet, restituet sanitatem, si non expedit, cur vitam amas? domesticorum luctus minùs tibi erit acerbus: si ad benè moriendum te omnibus sacramentis munitum viderint. Confessus es, benè habet: communicasti, hoc melius? optimum erit, si præsenti hoc quoque præsidio te ad extrema comparâris. rogo te, cogita, quot bonis

nis animam defraudes, quot, inquam, divinis auxilijs tum ad ſuperandas morbi moleſtias, tum ad vincendos Dæmonis aſſultus, qui tunc maxime hominem dejectum impugnant, tum ad augendum DEI gratiam, & ad majorem in cælo gloriam: certè negligentiæ notâ non vacat, nec ſpecie quadam ſpiritualis prodigalitatis, ſponte abjicere tot ſalutis emolumenta, cumque poſſis in tuo lucro reponere, tamen nolis. Id quod Nicolaus de Niſa, Ordinis Minorum, in gemmâ prædicantium ſcribit, ad hanc rem facit. Refert ille quendam magni cæteroquin meriti interrogatum an vellet ungi, renuiſſe: Nolite, inquiebat, obſecro: quia omnes, qui unguntur, moriuntur: atque in his verbis obijſſe. Cùm verò linteaminibus involveretur, aperuiſſe oculos, & hæc dixiſſe: quia extremæ unctionis ſalutare Sacramentum abhorrui; centum annis in purgatorio, juſto DEI judicio, torquebor: ſi unctus fuiſſem, de ægritudine convaluiſſem, Sacra enim unctio non eſt acceleratio mortis; ſed dilatio: atque his dictis

iterum

iterum expiraſſe. Quoad illa reliqua quarundam anicularum deliria, de nudo pede, de ornatis veſtibus, de ſaltu, & ſi quæ ejuſmodi fabulæ objiciantur; riſu ſolvenda erunt; ſunt enim perridicula. Verùm hæc tu non uti à me hic proponuntur, uno veluti ſpiritu propinabis egredienti iſti animæ: ſed per partes, ut res tulerit, & illita melle aliquo lenitatis; ut infirmis nauſeantibus pocula diſtillari ſolent. Eſt verò quod hac occaſione te moneam, ne ex eo quod nullum exſtet præceptum infirmis de ſuſcipiendo hoc Sacramento, putes, neque te ad conferendum teneri, ideoque parùm tibi videatur ſi negligas, aut cunčteris: nam Paſtorale officium te obligat: ut petenti ſaltem, aut egenti eo remedio non deſis. S. Malachias (ut eſt apud Surium) veſperi rogatus, diſtulit in ſequentis diei manè: obijt interim mulier illa, quæ petierat. quantum flevit, quantum oravit Malachias: ut mortuam ſuſcitaret? Major igitur cura hujus rei tibi incumbit, quàm putas.

NUM.

NUM. III.
Quibus neganda, & quando danda Extrema Unctio.

IMprimis non administrabis ijs, qui nunquam usi sunt ratione; neque ijs, qui aliunde de vitâ periclitantur, quàm ex morbo veneno, vulnere, aut causâ simili, intrinsecâ. Præterea negabis cuicunque peccatori, quem scies esse in statu, aut affectu peccati mortalis: Si is tamen dolorem, aut Sacramenti alicujus desiderium ostendisset, præsumeretur esse verè pœnitens, ideoq; absolvi, ac deinde ungi posset. Phreneticis, furiosis, à cane rabido morsis conferes; si prudenter putes esse rite dispositos, isti tamen ligari, aut potiùs remotâ turbâ teneri debebunt, ne Sacramento irreverentiam, aut alijs scandalum adferant: à rabido autem cane morsi cave, ne salivâ aut sputo te attingant, ideoque vicinam potiùs ori partem attinge; ajunt enim illius salivâ, aut sputo rabiosum virus affundi.

* Quicunque Catholicè vixerunt, neque noscuntur in statu peccati mortalis

lis versari, ungi debent: quia Catholici (quamdiu contrarium non constat) præsumuntur petijsse omnia opportuna suæ saluti; præsertim pro illo extremo vitæ periculo: Unde miror cùm de ungendis ijs, qui Catholicè vixerint tam disertè in Rituali Romano, & alijs libris Ritualibus præscribatur, repertos Sacerdotes tam rudes, atque hujus rei tam ignaros: ut ijs quos audiebant non petijsse expressè, & jam ita rationis usu privatos, ut petere non possint, Sacrum oleum denegarint: nam quod è vulgo ita aliqui sentiant, minùs miror, edocendi tamen sunt pro concione; quia gravis, & saluti animarum perniciosus est iste error: accidere enim potest; ut per hoc Sacramentum aliquis salvetur, qui sine illo periret. Pueri, qui rationis usum habuere & absolvi potuére, ungi possunt, etsi necdum communicarunt.

Porrò conferes hoc Sacramentum non antè, quàm prudenter judices adesse periculum; neque tamen exspectandum donec mors ipsa jam ita præoccupet; ut infirmus à sensibus, & ratione sit

sit alienus: nam quamvis tunc etiam ungi possit, tamen conducibilius est, si intelligat quid agatur, & pietatis sensum aliquem adhuc conferre possit. Olim Extrema unctio ante Eucharistiam collata, nunc solet postponi: nihil tamen refert datâ Extremâ unctione Eucharistiam administrari.

In eâdem infirmitate semel tantùm conferri debet, si tamen morbus cesserit, ac deinde redeat, iterum ungere poteris: imò si durante eâdem infirmitate æger periculum evaserit, & deinde in novum vitæ discrimen relabatur, poterit secundò ungi, quia perinde est, ac si novus morbus invasisset.

NUM. IV.

De administratione hujus Sacramenti.

PRæscriptas ceremonias diligenter observa eo modo, quo in tuâ Diœcesi receptæ fuerint. Pro reverentiâ, nisi quid obsit, deferes è templo veste clericali, superpellicio, & stolâ indutus, præcedente ministro, qui lumen ho-

honoris deferat causâ. Verùm si causa subsit: ut privatus sine solennitate ad infirmum te conferas; saltem in loco te sacro illo habitu indues, neque minister est necessarius, ipse respondere poteris, si nemo possit ex ijs, qui aderunt.

Psalmi pœnitentiales omittuntur sine culpâ: reliquæ preces non sunt prætermittendæ, quantum tempus, morbus, & ratio permittit. Initiò, si res moram patitur, saluta infirmum, & paucis significa, quid sit, & quos ob fines institutum sit hoc Sacramentum: quære an quid in conscientiâ habeat, quod fructum hujus Sacramenti impediat, si quid sit, audi confitentem, & absolve; simulq; eum excita ad devotionem, quô fructum uberiorem capiat: brevis esse debet hæc monitio, si terrorem, aut tædium pariat. Singula organa sensuum diligenter inunge, & quidem si bina sint; ut sunt, oculorum, aurium, manuum, pedum, bina: si desint; unge partes viciniores: cùm bina autem sensuum organa ungis, formam verborum partire cum partiali unaquaque unctione. Renes, aut pectus fæminis ne ungito,

gito, ac ne pedes quidem, cùm è partu laborant, aut indecentia dissuadet.

Cùm necessitas urget, statim rem ipsam aggredere alijs postpositis, & cùm festinandum videretur; in facie unum oculum, unam aurem, narem, os, & pro organo tactus, genam, aut aliam vultus partem unge, sub unâ integrâ hac formâ. Per hanc sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum, auditũ, odoratum, gustum, tactum, cruce licet omissâ: Ista enim sola ad essentiam hujus Sacramenti sufficiunt: Si dubitas, an supervivat, qui ungendus est, exploraquâ arte potes; manente dubio unge sub conditione, *si vivis adhuc.* Finitâ unctione partes inunctas deterges panno, stupâ, aut quod decentius est bombaceo, digitos absterges sale, pane, aquâ, quæ igni dabis reverentiæ causâ. Pueris habentibus sufficientem usum ad peccandum, etsi nondum ad communicandum, non est neganda extrema unctio, præsertim si nullum aliud Sacramentum accipere possint, quia semper juvat: tunc autem forte necessaria est.

NUM.

NUM. V.

An, & quomodo ungendi, qui peste, aut contagione sunt infecti.

QUæ superiùs suis locis circa pestiferorum confessionem excipiendam & viaticum diximus, huc suo modo etiam spectant, nam licet confessionis maxima in moribundis, communionis verò sacræ major ratio sit habenda, quam sacræ Unctionis. quòd ista duo priora moribundis graviter præcepta sint, magisque ad salutem necessaria: tamen quia semper maximum momentum positum est in Extremæ unctionis Sacramento ad bonam beatamque mortem: non committes facilè: ut tui gregis ullus tuâ culpâ tam salutari auxilio careat: præsertim si neque priùs confessus fuerit, neque Viatico munitus, neque jam aliter juvari possit: nam tunc hoc Sacramentum, quod unum reliquum est, esse potest ad salutem pernecessarium. Quare nunquam quidem præsertim rogatus negabis ulli de vitâ periclitanti, ne per qui-

quidem, aut contagione infecto. Hic enim valet etiam istud, Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: quanquam non video adeò periculosum ungere pestiferos, si ea serves, de quibus suprà monui de impediendâ vi pestiferâ, nitore & mutatione vestium, facilibus alexipharmacis, & aliquâ cautelâ ad non excipiendum halitum infecti; præsertim si deferri æger possit propiùs ad auram liberam, aut limen ædium: si, quod licet, breviter unctionem unam ad singulos sensus (prout paulò antè docui) sub unâ interim totali formâ adhibeas, quam in rem alicubi usui est bacillus oblongus, cum nodo argenteo ad extremitatem, quem aliquis apud infectum è propinquo dirigat ad ungendos sensus, & quem deinde vel bombaceo comburendo detergas, vel ad ignem lustres: præsertim si Episcopus eo instrumento uti permittat. Singulare est boni Pastoris in hoc genere exemplum S. Caroli Boromæi, qui in eâ contagione, quæ Mediolanum depopulata est anno 1566. non modò temporalia ex suâ etiam supellectili: sed proprijs quo-

quoque manibus lue infectis Confirmationem, Viaticum, Extremam denique Unctionem administrabat.

NUM. VI.

De quibus monendus moribundus post Sacram Unctionem.

FInitis Unctionibus, & ijs precibus quæ in Rituali præscribuntur, si personæ, morbi, temporis ratio patiatur, quædam perpaucis, ne infirmus defatigetur, mone: 1. ut DEo gratias agat, quòd hujus Sacramenti beneficio, & gratiâ sit præmunitus. 2. ut gratiam acceptam magno studio, & curâ conservet. 3. ut proinde tentationibus, si quæ obvenient, fortiter resistat: non enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Et, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. 4. impposterum sæpè eliceat actus fidei; protesteturque se in ea velle vivere, & mori: item eliciat actus spei crebros; confidendo se vitam æternam consequuturum, non suis: sed Christi meritis. Præterea formet actus frequentes amoris DEi super omnia, propter

pter quem resignet se totum, conformetque divinæ voluntati: simul vitam, mortemque suam, omnesque morbi molestias DEo offerat in memoriam Passionis Christi; & satisfactionem suorum peccatorum. Denique moneas, ut Sanctorum quoque preces, & auxilium imploret; præsertim Matris DEi, Angeli Custodis; reliquorumque Patronorum: ab eo verò discedens præbeas osculandum Crucifixum, asperge aquâ lustrali, si quod habes numisma sacrum, aut granum benedictum, cum indulgentijs, pro articulo mortis; illi commodes; ut utatur: quem in usum semper deferes, cùm adibis moribundos. Ad extremum benè valere jube, & promptum te offer in quodcunque tempus; si quando præsentiam tuam sibi solatio fore existimabit. In discessu ab infirmo, de ijsdem rebus instrue domesticos; ut in tuâ absentiâ eadem præstent, neq; negligant te revocare; si opus, vel commodum viderint: interim precibus vacent: si verò necdum testamentum scriptum sit; id fieri optimo modo curent.

CAPUT VI.

De juvandis morientibus, & mortuorum sepulturâ.

NUM. I.

De visitandis infirmis.

PAstoris ovium est non tantùm vigi
re; ut gregem à lupis in colum
servet; sed ut ijs etiam, quæ mor
vel præsenti periculo expositæ sunt,
pem suam impendat; eô majori cu
quô magis norit in graviori discrimin
versari; & minùs jam posse sibi caver
ita Parocho semper quidem excub
dum, & incumbendum; ut Gregi
benè sit; maximè verò, si quæ ex o
culis morbidæ sint, atque in vitæ p
culo constitutæ: plerumque enim t
cum corpore salus animæ in discrim
vocatur: quare non sufficiet sanos ge
ratim pro concione excitasse ad pe
da Sacramenta: sed cùm cognoveris m
lè valere, præsertim ægriùs, licet n
voceris, adire debes, per te, aut
lium, si nemo adsit, eumque solari,
pr

prout morbus exiget, excitare ad Sacramenta tum sacræ Confessionis; tum deinceps reliqua suscipienda: quâ in re tamen magnâ prudentiâ opus erit; nè quid temerè, & insulsè agas; si fuerit necesse, ut fortiter; memineris; ut & suaviter. In hoc genere peccant Pastores, qui putant se officio non defuisse, si qui sine Sacramentis decedant, qui eos non vocarint: non fuimus, inquiunt, vocati: at scivisti periculum, aut attendere debueras: quænam est ista Pastoris excusatio, Hero objicienti: cur permisisti ovem, quam noras esse morbidam perire, aut sanè à lupo devorari? si respondeat, ovis non balavit, nemo opem imploravit: atqui officium tuum opem tuam efflagitabat; imò implorabat; An non meritò Dominus animam ejus ex manu tuâ requiret? Est profectò hic error gravis. Sed alter æquè perniciosus, eorum scilicet, qui se omnem erga infirmos pastoralis officij partem explevisse existimant, si Sacramenta pœnitentiæ, viatici, Extremæ unctionis administrarint: Itaque nihil ultrà movent:

recepit, inquiunt, sua Sacramenta; ni
mihi istic superest negotij, præsertim,
me revocat nemo. Sed agedum, d
quæso, quid isti homini proderit, à te a
cepisse Sacramentorum gratiam; si an
mortem eam perdiderit? quàm autem h
fit facilè? urgent enim tunc graviores a
sultus Dæmonum, vis morbi fit acrior, a
nimus fractior; heu! quàm sæpè, & qu
fœda in ipso portu naufragia à latenti
scopulis, angustis faucibus, irruenti
procellis? dum Magister navis vel abe
vel dormit, quasi jam de re suâ totâ sec
rus. Adibis igitur etiam non vocat
præsertim si cognoveris à morbo, aut t
tationibus infirmum in præsentiori sal
tis discrimine versari.

NUM. II.

De Arte juvandi graviter Infirmos.

At quid istic agam? inquies, juvab
ad benè moriendum. Multa h
præscriberem, nisi memor essem pr
missæ brevitatis: nam ut longa est a
benè moriendi: ita multa sunt præcep
ben

benè juvandi moribundos. quâ de re extant, qui accuratè scripserint; Laudatur Joannis Polanci Methodus; Caspar Loartius de afflictorum consolatione; & Amicus fidelis non pridem editus: extat etiam modus visitandi, & juvandi infirmos à Paulo V. præscriptus: quo utaris, si habes ad manum. ex quibus; ut tibi sim commodus, rem totam ad pauca capita huc revocabo.

Primùm; ardebis zelo juvandi animam illam, quæ inter confinia vitæ, & mortis properat ad æternitatem: is enim zelus non modò te alacrem reddet ad ferendas molestias, quæ subinde in morientium curâ subeundæ sunt; sed etiam reddet attentum, & vigilem: ut nihil omittas eorum, quæ solatium, & opem adferre possint. Deinde studebis: ut infirmum tibi benevolum reddas significatione tuæ erga eum benevolentiæ, oblatione officiorum, quibus ille putet te posse tum illi, tum suis gratificari; ita tamen, ut intelligat nihil te omninò agere velle proprij commodi, aut lucri gratiâ, sed solam DEi gloriam, & salutem ipsius

intendere. Porrò cavebis sive in adeundo, sive in loquendo, agendové; ne quid imprudenti tibi excidat, quod offendat, aut fastidium adferat; quare consideranda erunt circumstantiæ Loci, temporis, morbi, ægroti, eorum, qui adsunt, & rerum, quæ in colloquium adferentur, modi, quo proferentur. Sermo non sit longus, neque concionatorius, neque clamosus, neque asper; pauca, & selecta cum aliquâ suavitate condiantur; hinc inde aspergatur locus aliquis sacræ Scripturæ è re natâ; Delectant maximè similitudines, & exempla, simulque movent. Cavebis autem ne facilè mortem imminere denunties; faciant hoc alij potiùs, nisi cùm expediret saluti infirmi negligentis; & alij nunciare vel non auderent, vel nollent; jam enim tibi hoc onus incumberet: Facies igitur tunc; sed cum sale, ducto longiùs exordio, à qualitate morbi, diuturnitate, gravique molestiâ, unde majus fortè periculum imminere posset: tutiùs esse prævertere Ecclesiæ Sacramentis, sacrâ imprimis confessio-

ne,

ne, & reliquis, præsertim cùm timetur delirium, aut deliquium, (ut facilè fit in acutis febribus) aut certè suffocatio à catarrhis: Tum res ipsa agenda, præparatio scilicet ad benè feliciterque obeundum, quantumcunque videatur spes aliqua vitæ. ubi primùm minuendus metus, & horror mortis: quippe omnibus moriendum esse, etiam Christo fuisse mortem subeundam; postquam homo mortalis esse cœpit: tum inducendus mundi, rerumque mundanarum contemptus: hanc vallem esse malorum, & miseriarum, plenum periculis, & naufragijs mare: Beatos, qui feliciter in portum cœlestem enavigârint: aspirandum potiùs ad res cœlestes, & divinas; maximè omnium procuranda Ecclesiæ Sacramenta, quibus animus muniatur contra dæmonum impugnationes: tum virtutum actus ferventer, & sæpè exercendi, præsertim Fidei, Spei, Amoris DEi, & proximi, Contritionis, Resignationis in divinam voluntatem, ad extremum constantis Patientiæ: Hanc in rem istarum virtutum formulam

tenebis ipse, & docebis infirmum ver-
bis præeundo; ut ipse vel ore si possit, ve
saltem animo sequatur; Pro fidei pro-
testatione recitabis infirmo sigillatim
per articulos Symbolum Apostolo-
rum: ut ad singulos ipse respondeat, ve
annuat: Tecum tandem sic conclude
*Ego in hâc fide Ecclesiæ Catholicæ, & Apostoli-
extra quam salvus nemo esse potest, protestor
velle vivere, & mori: quòd si aliquid contrari-
huic meæ protestationi Dæmon mihi quomodocun-
que ingesserit; ex nunc, dum adhuc mihi sum præ-
sens, & mentis compos, abhorreo pro tunc, ex a-
mo, & detestor.*

Porrò quia spes nostra nititur boni-
tate DEi, & mortis Christi Redempto-
ris, simulque petitione mediorum ad vi-
tam æternam consequendam; subjici-
tur hæc oratiuncula, ad actum spei for-
mandum. *Domine DEUS; uti par est,
jubes: ita de te summo bono in bonitate, & mise-
cordiâ sentio: quòd me non creasti, ut æter-
perderes. Confido itaque in te, & in passi-
Cruce, morte, & meritis Christi JESU,
Redemptoris, & in ipsius Sacramentis, quæ in-
stituit, non in meis meritis, aut operibus,
sine gratiâ Christi scio nullius esse valoris: da
bone JESU, per tua illa merita, da omnia,
scis mihi necessaria; ut perseverem in tuâ gra-*

& ut te in cœlo potiar, Amen. Subjungatur in fine Oratio Dominica, & Angelica Salutatio.

Inflammabis deinde maximè infirmum ad frequentem actum Charitatis, Amoris DEi, & proximi propter DEum, simulque perfectæ Contritionis; cum resignatione & oblatione animi parati ad omnia agenda, & ferenda fortiter, juxta sanctissimam DEI voluntatem, qui omnes actus comprehenduntur expressâ sequentis Orationis formulâ: *O DEUS mi, bonitas infinita, ego te amo super omnia, te ex toto corde meo, ex totâ animâ, ex totis viribus diligo; ideoque volo omnia tua præcepta implere, & me semper conformare sanctissimæ tuæ voluntati, quia dignus es super omnia amari, & plus infinities, quàm amare possim. Doleo ex intimo corde, quòd Majestatem tuam, ac bonitatem peccatis meis offenderim, quàm debeo, & nunc volo amare, amoque super omnia; ideoque: quia tu es DEus infinitè potens, sapiens, sanctus, & bonus, cui peccatum suprà quàm dici potest, summè displicet & adversatur. Quare propter hunc tui amorem firmiter statuo, non ampliùs te offendere, omnis peccandi occasiones fugere, rite confiteri, pœnitentiam implere, omne id, ad quod obligor, facere, imò ut pleniùs satisfaciam, remitto nunc ex animo, si quis me unquam offende-*

 rit,

rit, meque totum tibi offero, simulque omnia, quæ mihi toleranda erunt, vel agenda; utque suppliciter peto veniam delictorum meorum, ita spero fore per meritum pretiosissimi sanguinis tui, bone JESU, ut impetrem quod peto, tuaque adjuvante gratiâ vitam corrigam, & ad mortem usque in tuo servitio perseverem, Amen. JESU.

Hanc formulam amoris DEi super omnia, & perfectæ contritionis, quam clavem cœli auream appellant, varijs linguis prælo datam, & per tot centena hominum millia in orbe Christiano dispersam, expediret te habere in multis exemplaribus scriptis, aut impressis: ut infirmis usui esse possint, præsertim circa finem vitæ: quam ipsi devotè legerent identidem; aut à suis sibi legi curârent. Nam plurimum valent isti actus ad felicem mortem, & gratiam DEi, aut recuperandam, aut augendam: quæ causa est, cur Parochi plurimi in scholis, & publicis Catechismis, aut Concionibus curent præeunte uno à cæteris omnibus clarè recitari per partes, atque ità memoriter addisci, saltem quoad sensum; ut tum sani, tum maximè infirmi; eos tam necessarios, & salutares actus eliciant.

Tu

Tu quæso istos imitare: fructum non pœnitendum experieris. Providendum etiam, ut si quibus debitis, aut votis teneatur, & præstare possit infirmus, ea exsolvat eo modo, quo est obligatus. Præterea familiam rectè componat, quantum potest, si in eâ discordiæ sint, aut odia: denique eam hortetur ad fidem in DEum, & bonam vitam, suisque exemplum piæ mortis relinquat.

NUM. III.

Modus juvandi jam in extremis constitutos.

HIc jam plus operis, ac laboris est: ubi ex uno jactu de totâ re luditur; tanti res momenti; ut ex eo pendeat æternitas; ferè in hoc tempus quadrant eadem, quæ paulò ante pro graviter infirmis attulimus: nisi, quòd majori utendum sit compendio, & nonnullâ aliâ praxi, cùm jam magis vires, & animi morientem deficiunt, vide an tibi arrideat hæc praxis; ostende agonizanti Crucifixi effigiem, *Hoc est,* inquies, *Vexillum Christianæ militiæ, hic est Dux noster,*

JESUS Crucifixus; tum mone; ut tecum ore, vel saltem mente hæc proferat, *O mi JESU, credo in te* (hic præbe exosculandum Crucifixum) mox, *ô mi JESU, spero in tuâ passione, & tuis vulneribus; ubi me recondo* (osculanda hîc quinque Christi vulnera.) Denique posito Crucifixo supra pectus. *O mi JESU, amo te ex toto corde meo super omnia, ideoque doleo, quòd divinam tuam Majestatem, & bonitatem infinitam toties in vitâ meâ offenderim, dimitte universa peccata mea mihi, sicut ego ex animo condono omnibus, qui quoquo modo me offenderint, simulq; veniam peto ab omnibus, quos offendi.*

Præter hæc habebis in promptu breves, & appositas oratiunculas, quas jaculatorias vocant. Ejusmodi sunt hæ; *JESU, esto mihi JESUS, id est Salvator. Sancta MARIA Mater DEi, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in horâ mortis nostræ. Maria mater gratiæ; mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.* Ad Angelum Custodem, aliosq; Sanctos Patronos, & inter hos nominatim ad Sanctum Josephum, & Sanctam Barbaram pro felici morte similes precatiunculas suggeres; monendus erit præterea infirmus, ut in agone, sæpè ore, vel saltem corde piè invo-

invocet Sanctissima illa nomina, JESUS, MARIA, præsertim pro lucrandis indulgentijs, si sit de aliquâ Confraternitate; quem etiam in usum monui, ut semper penes te habeas aliquod numisma, aut granum benedictum, quo ille uti possit: movendus denique; ut oblatam, imò captatam ultrò occasionem arripiat, sæpius impetrandi à Sacerdote absolutionem: præsertim si quid conscientiam perturbet, imò etsi nihil graviùs occurrat, intelligat sufficere, si nihil aliud conscientiam urgeat, leve aliquod peccatum confiteri, saltem de vitâ præteritâ: sæpius enim id fieri, cùm morbus est gravior, expedit tum ad majus meritum, & robur contra tentationes, tum; ut si quid fortassis memoriâ exciderit (quod fit facilè in ijs, qui subinde delirant) simul absolvi possit; huc etiam hoc pertinet, sufficere, ut in ultimo agone constitutus â quocunq; Sacerdote præsente absolvi possit, (quod maximi est beneficij) si dum est sibi præsens, significet se cupere in extremâ illâ vitæ periodo de suis peccatis absolvi; absolvi enim poterit, cùm Sacerdos aderit, idque

cognôrit se ipso, aut si aliter fieri non potest, ex alijs, modò non sciatur priorem voluntatem mutâsse. Ante discessum asperge aquâ lustrali, & præbe Crucifixum ad osculandum: domesticos verò mone; ut si infirmus, vel res ipsa exigat, te revocent, facilemque te præbe. Interim subinde, præsertim in extremis, aquâ benedictâ aspergant, Crucifixum objiciant, sancta nomina pronuntient, & pias preces fundant: caveant tamen ne obtundant, aut molestent, multò magis ne intrò subeant qui conscientiam perturbent, aut ne ipsi inconditis gemitibus, aut vociferationibus affligant: deniquè cùm jam animam exhalaturus videtur, in agonizantis manu unâ Cereum lucentem; in altera Crucifixum teneant: ubi exspiravit non tam ejulatibus, quàm precibus, & juvandæ animæ vacent: attendant verò maximè, ne statim oculos, vel os præsertim occludant: fit enim non rarò, ut qui exspirasse creduntur, aliquoties respirent, seque commoveant, unde præpoperâ illâ occlusione præsuffocari

possent, quod crudele est, & impium; Dent igitur sibi orando aliquam moram, & vel speculo, vel plumulâ, an omnis halitus defecerit, diligenter explorent: quia verò maximè Missæ sacrificium defunctis prodest, quantocyus procurent illud celebrari, præsertim in altari aliquo privilegiato, pro liberatione animæ ex purgatorij ignibus, si ibi crucietur defunctus.

Quæres fortassis: an tenearis ipse moribundo die noctuque adesse, donec exspirârit, & animam deinde DEO commendare? probè id feceris, si feceris, imò si necessitas salutis deposceret, & per alium non possis, teneris ipse non deserere, tentareque extrema omnia, vel in ipsis extremis: etsi fortassis minori fructu: istud tamen non erit exiguum, quod officio boni pastoris perfunctus videbere: orationes quæ à te tanquam Ecclesiæ ministro pro commendatione animæ funduntur, plurimùm valent: ideóque etiam cum jam sensu, aut ratione carent, non negligendæ, neque raro fit; ut morientes, etsi nihil sensibus exter-

ternis percipere videantur, tamen quæ dicuntur, agunturve intelligant: ut nonnulli cùm ad se redierunt, sunt testati, ideoq; neq; tunc prætereunda, quæ paulò superiùs attulimus de morientibus juvandis: breviùs tamen jam, & per quædam intervalla.

NUM. IV.

Quando sepeliendus mortuus?

CAveant ij, quibus exequiarum, & funeris cura incumbit, nè statim à morte obitâ sepeliant; minùs humanum, aut urbanum est corpus exanime mox in sepulchrum projici, aut humo tegi, & subinde periculosum: Novi puer hominem, qui ex vino combusto largiùs sumpto ità refrixerat, & impalluerat: ut pro mortuo Sindoni insuëretur: At cùm primùm se acu pungi sensit, corpus movere cœpit, & paulò pòst occlamare. Prætereà quendam audivi extremo supplicio affectum, cùm obtentâ sacrâ sepulturâ delatus esset ad locum, repentè se commovisse, & aliquamdiu vixisse, Annales Rectorum hujus Universitatis referunt alium

alium è patibulo à carnifice suspensum, cùm post quinque, vel sex horas, à suspendio delatum cadaver ad Anatomiam in calido loco depositum: se movisse, & planè sibi redditum. Ob hanc, opinor, rem, & cujusdam in mortuum pietatis causâ, alicubi per viginti quatuor horas, alibi saltem per duodecim defunctorum corpora loco honesto, & à bestijs, quæ infestare possent, securo, asservantur cum Cruce, & lumine, nonnullis etiam orantibus. Excusare possunt has moras aliquæ non nunquam causæ: Tu observabis receptam tuo loco consuetudinem, & cùm opus fuerit aliquâ maturatione; â prudentiâ consilium petes.

Jam quod ad diem, & horam sepulturæ attinet, non video, quid vetet etiam diebus Dominicis, & Festis, imò die ipso Paschæ mortuos sepeliri, si ratio exigat, neq; propterea Celebritas Festi diei impediatur. Die tamen Veneris sancti, si sepelias, abstinendum erit à pulsu Campanæ, qui tunc est prohibitus. De nocte privatim sepelire quibusdam locis prohibent Episcopi, quibus tunc parendum

dum est: nam publica sepultura ritus est Religionis Christianæ, & honor Christiani defuncti, atque immortalitatis animæ publica professio. Consuetudo quibusdam in locis fert: ut Missa, præsente corpore ante sepulturam celebretur, eam tu observa, si apud te recepta est: Non convenit tamen festis præsertim solemnioribus fieri Missam de Requie, nisi Missa altera haberi possit de festo.

NUM. V.

De Exequijs, loco sepulturæ, & functione funebri.

EXequias fieri, & corpus duci honestè, & decenter, Sacrosque ritus observari, juxta receptam tuæ Parochiæ consuetudinem, Christianæ pietati consentaneum est. Cavebis autem, ne novæ consuetudines in deducendo funere inducantur; multò etiam magis, ne quid, quod sapiat superstitionem: eos qui jure à sepulturâ Ecclesiasticâ non excluduntur, ne sepelias loco profano, nisi ex causâ gravi, ad tempus. Si Medici cor-

corpus petant ad Anatomiam, & illi, quorum intereſt conſentiant, permittes pro bono communi.

Turpe eſt; neque ſatis Chriſtianum, pauperes mortuos nullo ritu ſacro duci, aut projici in locum non ſacrum, & repugnat Rituale Romanum Pauli Quinti his verbis: *Pauperes, quibus mortuis nihil, aut tam parum ſupereſt, ut propriis expenſis humari non poſſint, gratis ſepeliantur, ac debita lumina, ſuis expenſis, ſi opus fuerit adhibeant Sacerdotes, vel aliqua pia Confraternitas.* Profectò offenduntur nonnulli, cùm vident pauperes nullo ritu efferri, & temerè abjici, vel ſordidè conquiri pro funere Eleemoſynas; adſit unus ſaltem Sacerdos, qui brevi prece leviter humo tegat. Idem Rituale prohibet, ne Parochi, alijvé Sacerdotes quidquam pro functione funebri de pretio paciſcantur: aut tanquam debitum exigant pro ſuo libitu, ſed ijs Eleemoſynis ſint contenti, quæ conſuetudo, aut Ordinarius conceſſerit. Igitur ita te geres: rogatus mortuum, nullâ pretij mentione factâ, abſque moleſtiâ, aut tergiverſatione ſepelies: ſi ij, qui ſumptus facere debent, id,

id, quod consuetudine, vel statuto Episcopi justum est, non offerant, exigere poteris post aliquot dies funeris: si negent, experire omnem aliam viam; si neque sic, age jure coram tribunali Episcopi.

Hîc verò etiam istud memineris prohibitum sub gravi culpâ, & pœnâ excommunicationis: ne Parochi aliquem inducant ad promittendum; aut jurandum se accepturum sepulturam in tua Ecclesia, aut quam anteà elegisset minimè mutaturum: adeò in sacris avaritiæ sordes cavendæ.

NUM. VI.

Quibus neganda sepultura juxta Sacros Canones.

PRimò. Nemini concedes, qui Baptismum vel fluminis, vel saltem sanguinis, re ipsâ non acceperit; ne quidem infanti Christianorum mortuo absque Baptismo, nisi fortè adhuc esset in visceribus Maternis, tunc enim censeretur adhuc quasi pars Matris, ideòque cùm illâ sepeliri posset. Si dubitas de valore Ba-

Baptiſmi, ob materiam, vel formam dubiam, vel an Infans viveret, cùm baptizaretur: remanente dubio ſepeliri poteſt in favorem Baptiſmi. alioqui ſepulturâ non Baptizati violatur locus ſacer, extractoque cadavere, ſi pars ejus ſuperſit, reconciliandus eſt.

Secundò. Arcebis Apoſtatas à fide, Schiſmaticos, verè Hæreticos, eorumque Fautores, ſi impænitentes mortui ſint.

Tertiò. Ratione excommunicationis majoris hæc obſerva juxta Canones: ſi mortuus eſt quicunque excommunicatus vitandus; ut ſunt Excommunicati nominatim, & percuſſores alicujus Clerici, quamvis dederit ſigna pœnitentiæ ante mortem, ne ſepelias, niſi ſit abſolutus, vel abſolvatur ab Excommunicatione ab eo, penes quem ea eſt poteſtas: alioquin violatur locus ſacer: ut jam dictum eſt de non Baptizatis. Quoad Excommunicatos autem toleratos aliqui cenſent poſſe communicare cum aliis in loci ſacri ſepulturâ. Dubitaret tamen aliquis: quia hoc facto videretur impenſus illis favor.

Inter-

Interdictos nominatim, aut in loco interdicto mortuos, etsi pœnitentes mortui sint, ne sepelias; nisi similiter relaxatâ pœnâ per legitimum Superiorem.

Quartò. Caveas sepelire mortuum in ipso duello, saltem si in loco occubuerit: quantumvis signa pœnitentiæ ediderit. id enim prohibet specialiter Tridentinum in detestationem tam perniciosi criminis.

Quintò. Præter supradictos etiam excludes illos, qui ex desperatione, vel irâ voluntariâ sibi mortem intulerint: nisi antequam exspirarent, pœnitentiæ signa ediderint, aut nisi prudenter putentur fuisse alieni à mente. Idem age cum ijs, qui moriendo blasphemas voces emiserint: nisi similiter fecerint à mente alienati, aut per inadvertentiam; aut nisi pœnituerint, antequam animam efflarent.

Sextò. Privabis sepulturâ eos, de quibus publicè constat intra annum non fuisse confessos, aut ad Pascha non communicasse absque causa probabili, aut nisi ante mortem pœnituerint.

Deni-

Denique generatim Neminem admittes, de quo publicè constet mortuum in statu peccati mortalis. Quoties autem in particulari dubium erit crimen, vel factum: ob quod Canones negant sepulturam, referes ad Episcopum; cùm hæc res sit gravis.

Adverte autem qui est sepultus, cùm per Canones non posset, exhumandus est, nisi majora mala timeantur: de quâ re consulendus Episcopus, præsertim circa cadavera Hæreticorum; de quibus numero sequenti. Interim hic obiter monendus es. 1. ne ignotos sepelias, priusquàm probabilia indicia habeas vixisse Catholicos. 2. si quiscunque mactatus jaceat, ne priùs terræ mandes, quàm Magistratus de factâ cæde fuerit conscius: id enim postulat Ordo, & Ratio Juris.

NUM. VII.

Quid igitur agendum cum Hæreticis sepultis.

PEculiaris est hæc difficultas in his locis, & similibus: ubi promiscuè Hære-

Hæretici cum Catholicis vivere permittuntur quando præsertim Hæretici sunt potentes: frequenter enim accidit; ut templa fuerint Hæreticorum, & deinde à Catholicis recuperentur: Interim verò Principes Catholici, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, multa contra Ecclesiasticas constitutiones ijs permittant, ad vitandum majus Ecclesiæ, & Religionis malum: imò aliquando, usurpare velint Hæretici sepulturam loco sacro, ubi Catholicus est Parochus. In hac perplexitate quid agere debeas mi Neo-Paroche, si me consulas; nescio quid consulam: variæ enim circumstantiæ expendendæ, ex loco, tempore, personis, & discrimine majoris mali. Hoc monere te possum: vide quid tuo loco consuetum sit, Inquire, si dubitas, quæ mens sit Episcopi: & ita age, ut neque sis contra sacros Canones facilior, neq; contra bonum publicum difficilior.

CAPUT VII.

Circa Sacramentum Matrimonij.

SI unquam, sanè attendere debes in administratione hujus Sacramenti, ne quid tu, vel alij peccent: præsertim circa impedimenta, quæ Matrimonium dirimunt: indè enim proveniunt infaustissimæ nuptiæ, & tricæ, ac laquei animarum posteà propemodum inextricabiles: quare ipse probè noris, quæ & qualia sunt ejusmodi impedimenta, & modos prævertendi: neque enim unquam occurrunt tot casus, & tam perplexi, quàm in causis matrimonialibus: quibus maximè Episcoporum tribunalia agitantur, ideoque sæpe ad Vicarium Generalem vel tibi erit recurrendum, vel alij ad alium remittendi, cùm dubium accidet. Ero in fusissimâ alioquin hac materiâ brevis, & veluti compendium proponam: ut summam habeas ad manus.

NUM. I.
De inquiredis ante Denuntiationes.

PRiusquam Banna (ut vocant) sive ineunda inter certas personas matrimonia, publicè denunties, consultissimum est: ut vel ex ipsis, qui contrahere volunt, vel ijs, qui eorum causâ te adeunt, diligentiùs inquiras. An fortè castitatis voto non sint obstricti. Contingit enim non raro: ut Adolescentes pueri, vel puellæ, in primâ ætate immaturâ, & imprudenti, tamen sufficienti ad castitatis votum professi fuerint: unde à Matrimonio contrahendo impediantur. Nam *in illis* (inquit ex Apostolo Augustinus) *quæ voverunt castitatem, non solùm capessere nuptias; sed etiam nubere velle damnabile est.* vel quia non valet Matrimonium si votum fuerit solemne: aut si fuerit simplex, saltem illicitum sit contrahere, & conjugale debitum exigere, ante dispensationem.

Secundo. Interrogabis an futuri Sponsi fidem alteri non dederint, quâ

huc teneantur; alioquin perfidus est, qui fallit. Quare subinde populum pro Concione moneas, ut caveant sibi puellæ à Juvenibus insolentibus, ut fit, qui fallacibus promissis, & illecebris, fide etiam juratâ Nuptiarum, eas seducunt. Non rarò enim illi quærunt aliud nihil, quàm ut deturpent, ac deinde deserant, quanto cum dedecore, & quibus nonnunquam lachrymis? Caveant quoque juvenes à puellis inconstantibus, quæ & ipsæ subinde alliciunt, & æquè (ut sunt inconstantes) aliô amores, & nuptias transferunt.

Tertiò. Inquires an Parentes consenserint: eorum enim est prolibus consulere, præsertim in tam gravi negotio; ideoque licet Matrimonium secùs initum valeat: tamen ijs rationabiliter invitis, suum vitæ statum eligere, non modò irreverentiæ est: sed etiam injuriæ erga patriam potestatem. Ingressûs in Religionem alia est ratio, hic enim DEUS magis, quàm Parentes, consulendus. Expedit igitur de ijs pro concione populum edoceri, simul tamen gravissimè re-

prehendi Parentes, qui metu gravi, ve-
hementibus minis, aut etiam verberi-
bus, proles ad ineundas nuptias cogunt,
cùm statum castitatis, aut Religionis
elegerint, aut cùm inire Matrimonium
decreverint, nimium urgent: ut in Mo-
nasterium se intrudi sinant: aut certè,
cum ijs contrahant, quas nollent: q[...]
bus ex rebus quæ scandala, & dam[...]
animarum sequantur, satis dici, & de[...]
non potest.

NUM. II.

Denunciationes.

TRidentinum sess: 24. de refor[...]
Matrim: c. 1. ut impedimenta, [...]
gravissima incommoda, præcaveri p[...]
sint, vult tres denuntiationes à prop[...]
contrahentium Parocho, tribus co[...]
nuis diebus festivis in Ecclesiâ, in[...]
Missarum solemnia, publicè fieri; q[...]
res, cùm de se gravis sit, graviter ob[...]
gat; nisi quid excuset. Igitur id exa[...]
observabis.

Si tamen clara, & gravis neces[...]
tas urgeret contractum matrimonial[...]

nec denuntiationibus locum, vel tempus daret, ob imminens grave damnum; ut periclitans de morte vellet ducere concubinam ad legitimandam prolem, neque adiri Episcopus possit, censeris habere consensum. Si probabiliter timeatur, ne Matrimonium præmissis denuntiationibus malitiosè impediatur, neque tempus patiatur Episcopum consuli; sunt, qui censent, banna posse tuâ autoritate differri, modò fiant, priusquàm Matrimonium consummetur.

Episcopus ex justâ causâ, eâq; multiplici dispensare potest in occurrentibus causis: adeundus erit, si fieri possit. Consuetudo, & interpretatio Doctorum circa interpolationem, aut trinam denuntiationem, itemque circa tempus, & locum denunciationum quædam mitigat, de quibus consule Casistas. Non expedit item eodem die, quo fit tertia denunciatio, matrimonium celebrari: ne subtrahatur tempus ei; qui vellet revelare impedimentum: quantum verò differri possint nuptiæ, post trinas denunciationes, vide quid statutum, vel consuetum sit. Si alteru-

ter futurorum Conjugum ad te non pertineat; vel in tuâ Parochiâ non admodum diu habitavit, cures denunciationes fieri eo loco, ubi habitant, vel diutiùs habitarint, non in loco nativitatis, ideò tantùm, quod ibi nati sint: quâ in re aliqui falluntur.

NUM. III.
De Impedimentis revelandis.

Qui denunciationibus factis novit aliquod impedimentum, tenetur sub culpa gravi illud manifestare, quamvis sit occultum: ut fert communior sententia; imò etiamsi juratò noverit; modò non id norit ex Sacramento Confessionis; idque tum ut pareat Ecclesiæ præcipienti, tum ut grave aliorum damnum impediatur; modò id aperire possit absque magno suo incommodo, aut absque probabili scandalo ex eâ revelatione secuturo. Probabiliùs autem est revelandum, etiam cùm impedimentum ita occultum sit: ut probari non possit, modò moraliter sit certum subesse: quare si tantùm noris ex auditu ab homine indigno, vel nihil

nihil certò sciente non teneris: secùs; si persona fide digna sit, & certò asseveravit. Hîc autem sufficit unus testis fide dignus, quia non agitur de pœnâ infligendâ: sed de damno avertendo. Adverte, si impedimentum ex peccato occulto oritur, priùs fraternè admonendum esse eum, qui eo impedimento laborat, ut desistat; modò sit spes profuturæ monitionis, alioqui denunciandum: quia impedimenta dirimentia reddunt Matrimonium nullum, quamvis occulta. Sis tu igitur ad hæc attentus. Cùm primùm autem impedimentum sufficiens ad te delatum fuerit (quod expedit scripto ipsius deferentis excipi) desistes à progressu ulteriori, quantumvis unus solùs detulerit quicunque, modò fide dignus; aut si ipse sufficienter noris (modò non ex confessionis Sacramento.) Negotium autem hoc remittes ad Episcopum, neque enim ad te spectat discernere de impedimentis: sed ad Superiorem, qui Jurisdictionem habet in foro externo.

✠

NUM. IV.

De impedimentis Consanguinitatis, Affinitatis, & Cognationis Spiritualis, quæ tria Impedimenta sæpe, & facilè occurrunt.

Consanguinitas est vinculum Personarum ab eodem propinquo stipite descendentium, vel ascendentium, carnali propagatione contractum. Distinguitur per lineas, & gradus: Lineæ sunt Personæ tam ascendentes, quàm descendentes, vel rectè, vel transversè: gradus dicitur Mensura personarum, quâ cognoscitur quàm sint propinqui, vel distantes in lineâ. Linea alia est recta ascendentium, aut descendentium ab uno: ita ut una persona mediatè, vel immediatè sit gignens, alia genita: Ascendentium est respectu filij, Pater, Avus, Proavus, Atavus: Descendentium verò à Patre, filius, nepos, pronepos, abnepos. Alia linea dicitur Collateralis, cùm personæ ab uno quidem stipite communi immediatè, vel mediatè procedunt; non verò ex se invicem, ut Fratres, & horum

filij

filij: Stipes est persona illa, unde illi, de quorum consanguinitate tractatur, originem ducunt. Porrò ad discernendum gradus tres regulæ assignantur. prima est: in lineâ rectâ tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite communi, sic Pater & filius, sunt in primo gradu, quia dempto Patre remanet unus, filius scilicet: Pater verò, & nepos in secundo: quia sunt hîc Personæ tres, Pater, Filius, & Nepos; deme Patrem remanent duo. Secunda regula est: Personæ verò in transversâ lineâ æquali existentes, tantùm distant inter se, quantum distant à communi stipite proximo: ita duo fratres distant in primo gradu inter se: quia singuli uno tantum distant à Parente. Filij autem duorum fratrum in secundo; quia ita distant à communi stipite proximo, qui est Avus. Tertia regula: Si autem personæ distent in lineâ transversâ inæqualiter à communi stipite; habenda est ratio gradus magis remoti: sic Patruus, & filius ex fratre, distant inæqualiter ab Avo, in quo uniuntur; ideò licet Patruus distet à communi stipite

in primo gradu tanquam filius: quia tamen filius ex fratre, ab eodem stipite distat in secudo gradu, quippe illius nepos, censentur distare inter se in secundo gradu: Aliter quidem numerat Jus Civile: sed cum causa Matrimonialis propriè pertineat ad Tribunal Ecclesiasticum, gradus numerandi sunt juxta ejus Dispositionem. Porrò jure Ecclesiastico Consanguinitas intra quartum gradum inclusivè tam lineæ rectæ, quàm transversalis reddit Matrimonium inter consanguineos invalidum. Nota cum petitur dispensatio, juxta stylum Romanum, explicari debent lineæ, & gradus, & quidem cùm in linea transversâ inæquales sunt gradus, etsi remotioris ratio potior habeatur: tamen etiam declarari debet iste: qui est propinquior stipiti communi, quia istud facit ad faciliorem vel difficiliorem dispensationem.

SCHE-

Jam verò Affinitas est propinquitas proveniens ex carnali copulâ sive licitá, sive illicitâ, omni carens parentela. Ejus lineæ, & gradus numerantur, sicut consanguinitatis: nam quoto gradu quis consanguineus est viri, qui cognovit aliquam: eodem fit Affinis fœminæ ab eo cognitæ: & quoto gradu quis est consanguineus huic Fœminæ, fit in eodem affinis viro, qui eam cognovit. Ex quo enim duo illi facti sunt per copulam carnalem, una Caro; consanguinei unius reputantur Affines alterius. Ad hoc autem requiritur: ut copula fuerit consummata, ex qua scilicet sequi potuerit generatio. Porro Affinitas reddit Matrimonium invalidum usque ad quartum gradum inclusivè, si copula fuerit licita, sive ex legitimo Matrimonio: si verò illicita fuerit, tantùm usque ad secundum inclusivè: Schema sive arbor Affinitatis eadem erit, quæ Consanguinitatis, si loco Pater & Mater in trunco arboris substituatur vir & mulier, quæ inter se habuerunt copulam, siquidem omnes Consanguinei viri sunt Affines mulieri,

& e contrà Consanguinei mulieris, sunt Affines viri, in pari gradu. Attende incurri ipso facto excommunicationem ab ijs; qui scientes audent contrahere in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis prohibitis. Cave autem ne putes Consanguineos Mariti fieri affines Consanguineos Fœminæ; vel contrà: nam affinitas non parit affinitatem, in quo aliqui subinde errant. Hinc duo fratres possunt ducere duas sorores genitas ex alijs parentibus, quàm ipsorum proprijs: imò Cajus habens filium Sempronium, si ducat Cajam, quæ habet filiam Sempronam ex alio: filius Caji poterit ducere filiam Cajæ, si nihil aliud obstet, certè non obstat affinitas, quæ in illis nulla est.

Ulteriùs Cognatio Spiritualis oritur ex Sacramento Baptismi, vel Confirmationis: sed tantùm inter Baptizantem & Baptizatum, ejusque Patrem & Matrem: item inter susceptorem & Baptizatum, & parentem utrumque ejusdem: quod simili Proportione de Confirmatione dicendum, vide Tridentinum Sess. 24. c. 2. de

2. de reformat: quid autem requiratur ad contrahendam hanc cognationem ex parte præſertim Patrinorum, lege apud Authores; qui iſta ex profeſſo tractant.

NUM. V.

De vi intentatâ, vel metu, & de cultu diſpari.

HÆc duo etiam ſunt ſatis frequentia. Primò violentia, vel metus, ſi gravis ſit, ſive cadens in virum conſtantem, reddit matrimonium invalidum, modò hæ conditiones ſubſint: primò ſit injuſtè incuſſus, ſecundò à causâ extrinſecâ liberâ: tertiò, idque ad extorquendum vi, aut metu conſenſum matrimonij: aliter non dirimit; ſicut nec metus levis: quomodo autem conditiones illæ tres explicentur, fusè apud Sanch. & alios reperies; poſſunt quidem parentes ex causâ juſtâ conari impedire bono modo: ne proles malè Matrimonium ineant: non tamen poſſunt eas cogere vi, aut metu: quo caſû autem illicitè moras nectunt; tu ne progredere in Denuncia-

tionibus; donec inter se composuerint, aut certè Episcopum consule. Similiter Matrimonium inter Baptizatum & non Baptizatum non valet, ob disparem cultum. Valet autem inter fidelem, & personam hæreticam: sed communiter est illicitum: in Germaniæ tamen, Galliæ, Poloniæ partibus valdè infectis hæresi: ubi Catholici Hæreticis sunt permixti, aliqui putant licere Catholico hæreticam ducere, & contrà: modò persona Catholica liberè permittatur retinere fidem, & in eâ prolem educare, absitque periculum perversionis. Verùm quia hoc difficile est, ideo talia connubia dissuadebis, præsertim cùm natæ sint confusiones graves ex causâ diversæ Religionis suboriri.

NUM. VI.

De impedimento ligaminis, & publicæ honestatis.

LIgamen hîc dicitur vinculum viventé adhuc personâ prioris conjugij; quâ superstite nullum esse Matrimonium cum alterâ personâ clarum est. Quare incum-

cumbit tibi attendere, præsertim circa personas ignotas, & quæ aliquando Matrimonium iniverint: requiritur enim certitudo, saltem moralis, de morte alterius conjugis, ex arbitrio prudentum, attentis circumstantijs omnibus; veriusque est non sufficere unicum testem; etsi aliqui putent sufficere fide dignum, si conjunx obierit in loco distanti, neque haberi possint aliæ probationes; non sufficit autem longissima absentia, nec sola fama mortis; nisi fortè tanta simul essent indicia: ut prudenti nullus amplius dubitandi locus relinqueretur. Vide Sanchez. Honestas publica etiam dirimit Matrimonium: est autem propinquitas proveniens ex sponsalibus validis, & cum certâ personâ: neque refert quòd sponsalia fuerint dissoluta, nisi fortè, si mutuo consensu: nunc tamen tantùm dirimit usque ad primum gradum, & quidem solius consanguinitatis: impedit autem etiam post mortem alterius ex sponsis. Præterea idem impedimentum oritur ex matrimonio rato, licet irrito; modò ex aliâ causâ, quàm ex defectu con-

consensus, & quidem hoc usque ad quartum gradum inclusivè: id enim declaravit Pius V. Sanchez.

NUM. VII.

De impedimento impotentiæ, Raptus, & reliquis.

IMpotentia consummandi antecedens, si sit perpetua, id est, quæ non possit removeri arte humanâ, aut sine probabili periculo animæ, vel vitæ corporalis, impedit valorem Matrimonij cum eâ personâ tantùm, respectu cujus est Impotentia. Nota tamen ex solâ senectute non rectè colligi perpetuam impotentiam, cùm etiam senes possint nonnunquam perficere actum Conjugalem; præsertim si arte medicâ juventur: sic morbus diuturnus, etsi interim reddat impotentem ad copulam, non censetur impedimentum dirimens: si aliunde æger videatur potens: Sterilitas de se non invalidat matrimonium: modò adsit potentia copulæ. Huc pertinet Impubertas, quæ etiam Matrimonium dirimit; ea autem censetur in Masculo usque ad an-

annum 14. completum, in fœminâ verò usque ad duodecimum similiter completum. Excipitur autem casus, quo malitia supplet ætatem, id est, quando ante illos años non abesset sufficiens discretio ad contrahendum matrimonium, & extraordinariè adesset potentia generandi.

Raptus est subductio violenta fœminæ contra ipsius, aut parentum, aut eorum, sub quorum potestate est, voluntatem ex loco uno in alium distinctum, sive ad fornicandum; sive ad eam ducendam in uxorem, ita communiter Doctores, Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de Ref. præter gravissimas pœnas, statuit, ut Matrimonium inter Raptorem & Raptam invalidum sit, quamdiu rapta remanet in potestate Raptoris: intelligunt boni Authores hoc decretum ferri tantùm in eos qui rapuerunt causâ matrimonij, & quidẽ ipsâ-met in abductionem repugnante. Error Personæ reddit quoq; Matrimonium invalidum, non autem error solius qualitatis, nisi redundaret in personæ errorem, aut nisi esset error conditionis servilis. Quare errant, qui putant matrimonium

esse

esse nullum, si errore inducti duxerint personam corruptam, aut inopem, quam existimabant esse Virginem, aut divitem: quia hic error solius est qualitatis. Aliud est si expressa fuerit conditio, duco te si non es corrupta, aut non duco, si es inops: Nam non subsistente conditione, non stat contractus: Ecclesia tamen non credet, nisi probetur, conditionem ita appositam. Porrò sunt duo crimina quæ Matrimonium invalidant: primùm occisio Conjugis unius, animo contrahendi cum ipsius conjuge, utroque mortem machinante; aut si tantùm alteruter machinatus est, quando etiam intervenit Adulterium. Alterum est; scienter adulterari cum alterius conjuge, & cum ea contrahere Matrimonium de facto, vel dare fidem, eamque acceptari de contrahendo post mortem proprij conjugis. De Cognatione legali, quæ ex adoptione provenit, consule Legistas. Præter dicta Ordo sacer validè, & liberè susceptus: item votum solemne in religione approbatâ simili modo emissum, matrimonium subsequens

quens dirimunt. De clandestino matrimonio absque præsentiâ Parochi, & duorum vel trium testium inito, quâ ratione matrimonium dirimat, dicam paulò pòst.

NUM. VIII.
De ipsâ Celebratione Sacramenti Matrimonij.

CUm Matrimonium inter Christianos sit verum novæ legis Sacramentum, institutum pro ijs, qui existunt in gratiâ: monebis futuros Conjuges: ut ad illud dignè suscipiendum se comparent sacrâ confessione, & Communione, bonisque operibus alijs, caveantque ne tunc, quando contrahent, sint in malo statu, quia gratiam Sacramenti non reciperent: imò novo sacrilegij scelere se obstringerent; unde facilè infaustæ nuptiæ sequerentur; quare consulendum, ut non diu ante contractum peccata expient, seque in DEi gratiâ conservent; interim verò agendo inter se à nimiâ familiaritate abstineant: facilior enim est lapsus ob prætextum futuri Matrimonij: quam ob cau-

causam sponsi & sponsæ, neque sub eodem tecto habitare, neque facilè simul clanculum agere permittendi. Contractus matrimonialis, nisi coram Parocho alterius contrahentium, & duobus, vel tribus testibus celebretur, invalidus est, in Parochijs; ubi Tridentinum publicatum fuit, & usu receptum: neque saltem per decem annos fuerit contrario usu abolitum: in alijs locis valet; etsi contractuari eâ tantùm de causa eò se contulerint: imò censent graves Authores satis conformiter ad mentem Concilij, propter rationabilem epichiam, valere in locis, in quibus Pastores, aut alij Sacerdotes, de eorum licentiâ nequeant, neque adesse possint; adhibeantur tamen alij testes minimùm duo. Iuvat autem scire Tridentinum fuisse Romæ primò promulgatum anno 1563. Assistes igitur tuorum Matrimonijs, aut certè alteri, qui Sacerdos sit, eam licentiam facies; modò saltem alter conjugum sit tuus subditus: poteris autem assistere tunc in alterius Parochiâ, aut Diœcesi, si in alienâ tamen Ecclesiâ

pete

pete consensum Parochi; affistent autem tecum, & quidem simul, duo tresve testes, quicunque testari possunt, expedit tamen ut sint omni exceptione majores, quando jure metuis; ne de valore litigetur. Sit autem præsentia & tua, & testium ejusmodi: ut intelligatis matrimonium inter præsentes legitimè contrahi, etsi fortè, ut aliquando contingit, minimè ad id vocati. vide Sancher. lib. 3. disp. 41. At cave, ne sine licentiâ proprij Parochi affistas alienis, nam præterquam Matrimonium nullum sit incurres suspensionem ab Officio donec Episcopus illius loci absolvat. Trid. sess. 24. cap. 1. de Ref. Cave præterea ne affistas vagis, id est, qui nullam certam sedem habent, nisi priùs veritate perspectâ noris, quod sint soluti, sæpe enim fit; ut alibi conjuncti sint. Ideo meritò Trid. sess. 24. cap. 7. de reform. matrim. Parochis præcipit, ne illorum Matrimonijs intersint, nisi priùs diligenter inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delatâ ab eo licentiam id faciendi obtinuerint: quòd si verò aliqui te accesserint, qui habent

bent in alienâ Parochiâ proprium domicilium, ut peregrini, viatores: ne priùs assiste: quam in Parochiâ domicilij factas denunciationes acceperis, ad Episcopum transmiseris, vel à proprio Parocho licentiam habueris. In libro deniqne matrimoniali accuratè perscribes nomina, & cognomina conjugum, & testium; quodque ipse astiteris, vel alius à te constitutus eo loco, die, mense, anno.

NUM. IX.

De ritu, & Ceremoniis.

ASsistes ordinariè in loco sacro; ita enim decet: nisi gravis causa aliud permittat; aut nisi cùm Episcopus prohibet, licentiam acceperis: assistes autem in veste Clericali, imò etiam in superpellicio, & stolâ; si locus sit sacer: parùm refert, antè, vel pòst meridiem: nocte non expedit, si periculum sit tumultuum: sed abstine tempore interdicto, sive feriarum Adventus, & Quadragesimæ, saltem cum solemni deductio-

ctione sponsæ, benedictione, aut pompâ nuptiarum: imò etiam sine his alicubi nuptias eo tempore contrahi prohibitum. Inter ritus, & ceremonias in tuo rituali præscriptas, est benedictio conjugum supra missam propriam, quæ omitti non debet: benedicere autem muneris est tui, vel alterius Sacerdotis, de tuâ licentiâ: sine quâ incurret ille suspensionem ut etiam ille, qui assistit alienis, sine licentiâ proprij. Si fœmina post viduitatem transeat ad secundas omittes, nisi alia sit consuetudo tuæ diœceseos: nam in solis nuptijs novæ nuptæ, sive hæc virgo sit, sive non; benedici solet. advigila autem ne Ritus novi; præsertim profani admisceantur, & multò magis, si res superstitiosæ in celebratione matrimonij adhibeantur, prohibe, aut inhibe, optimo, quo poteris, modo: deniq́ue cave, ne nuptialia convivia in luxum, abusus Christianis indignos abeant; unde Bacchus, Venus, Proserpina, infernales furiæ regnent, sequanturq́ue rixæ, homicidia, & divinæ nonnunquam ultiones,

quo-

quorum omnium insana simul; & funesta extant exempla.

NUM. X.

De quibus monendi novi Conjuges.

MOnendi sunt novi conjuges, ut ad finem, & meritum matrimonij consequendum, 1. se mutuò secundùm DEum diligant, vir uxorem, uxor virum: ut sic onera matrimonij communia onus sint levius, & conjugium suavius; uxorem vir habeat ut sociam, non tractet ancillæ loco; uxor virum tanquam caput familiæ honoret: mutuos ambo defectus sustineant, quæ charitati repugnant aversentur, odia, rixas, & quæ ejusmodi sunt; 2. sibi fidem mutuò servent, neque matrimonij legibus abutantur: filios, si nascantur, curent baptismo initiari, mater lactet, quantum fieri potest: alieno enim lacte sæpè proles corrumpuntur, & minuitur amor in matres: deinde statim

statim à pueritiâ instruant in fide, cultu Divino, cæterisque virtutibus: vitia corrigant: dici nequit quanti id referat in reliquam vitam: præluceant verò ipsis vitæ exemplo: caveant maximè; ne coram illis loquantur, aut agant, quod eorum pudicitiam lædat: quo in genere nocet, si pueros cum puellis, aut contrà familiariùs die, aut noctu agere sinant: deniquè ad mores Christianos totam familiam forment; curentque: ut præcepta DEi, & Eccesiæ observent: & ne Sacramenta negligant; præsertim in morbis.

NUM. XI.

De Puerperæ introductione in Ecclesiam.

Cùm mater satis vires restaurârit, sacro ritu eam induces in Ecclesiam: neque ad hoc vis ponenda in certo numero dierum, vel hebdomadarum à partu: sit ea solennis introductio ob acceptam divino favore solem offerendam Divinæ majestati,

instar Annæ Samuelem offerentis in tem-
plo; ad impetrandam novam gratiam
matri, prolique. Ritus in Rituali præ-
scriptos piè adhibebis, sed orationes
ibi præscriptas non facilè privatim le-
ges in domo Puerperæ; nunquam verò
ad maleficia dissolvenda: cùm ab Ec-
clesiâ ad istud institutæ non sint: pro-
bè tamen facies, si maleficiatam Puer-
peram, cùm venire non posset, ipse
adeas, & orationibus pro dissolutione
maleficij ex Ecclesiæ usu consuetis
à maleficio dæmonis exsolvere
labores.

PARS III.

INSTITUTIONES
Circa reliquam curam Pastoralem.

Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate.
1. Timoth. 4.

CAPUT I.
De munere Concionandi.

NUM. I.
Concionandi munus proprium Pastoris.

PAstoris munus non ultimum est gregem pascere divino Verbo, qui verus animæ cibus est: sine quo non modò nitescere: sed ne quidem ali populus potest: ideò Divina bonitas semper Ecclesiæ suæ de Doctoribus providit, qui illustrati divinâ luce, & altiori quodam spiritu afflati, res supra naturam positas populum docerent; viamque monstrarent; quâ supernatura-

 lem

lem beatitudinem confequerentur. Ejusmodi fuére primi hominum parentes; populi Judaici Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes: ut pro gravissimo offensi numinis fupplicio, istæ minæ jactentur apud Prophetam Amos, *Mittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ; sed audiendi verbum Domini: circuibunt quærentes, & non invenient.* Quid vero indè? *& deficient Virgines pulchræ, & adolescentes inclyti;* quam Calamitatem noftris quoque temporibus per Paftorum negligentiam in Germaniam, aliasque Europæ partes divinitùs emissam, hodieque spectamus, & lugemus; quô magis tibi, mi Neo-Paroche, incumbendum vides: ne tam salutari pabulo tuâ culpâ grex egeat. At tu magnum, & perdifficile, inquies, onus imponis, mihi præfertim inerudito, & parùm exercitato. Fateor, multa desiderantur in Concionatore, vires pares, animus plurimarum rerum, & virtutum capax, pertinax studium, nocturnæ etiam vigiliæ. Verùm assume generosos animos, & te his exstimula: pastorum princeps Christus hoc munus sibi fumpsit,

hoc

hoc Apoſtolis injunxit, hoc proprium Epiſcopi eſſe voluit. Itaque Chriſti, Apoſtolorum, Epiſcoporum vices obis: tuum agis partes Concionatoris. Quàm verò nobile, ac divinum eſt hoc, ignaris lucem veritatis affundere, animos ad virtutem inflectere, à vitjs dehortari, homines eripere ab Inferis, cœlo inſerere? atqui fructus hi ſunt Concionatoris.

NUM. II.
Concionandi Obligatio.

MUlta graviter, & enucleate Patres Concilij Tridentini de hoc tuo munere *Seſſ. 5. de ref. cap. 2.* præſcribunt: ut per te, vel alium idoneum, ſi impeditus fueris; diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus, plebem tibi commiſſam, pro tuâ, & ejus capacitate, ſalutaribus verbis paſcas, docendo neceſſaria ad ſalutem, demonſtrando cum facilitate, & brevitate ſermonis, vitia declinare, virtutes ſectari, pœnam æternam evadere, cœleſtem gloriam conſequi. Si negligas jubet Concilium te per Epiſco-

pum censuris, alijsque pœnis compelli: *Sess.* 22. *cap.* 8. idem mandat. *Sess.* verò 23. *cap.* 1. de Ref. inter cætera significat te divino præcepto astringi; ut oves pascas verbi Divini prædicatione. Denique *Sess.* 24. *cap.* 7. præcipit Episcopis: ut curent à Parochis, inter divinorum celebrationem singulis diebus festis, vel solemnibus, sacra Eloquia, & salutis monita explanari, populumque in lege Domini, postpositis inutilibus quæstionibus, erudiri. Nihil aut urgentiùs, aut explicatiùs, aut sanctiùs constitui potuit. Igitur ex mente Concilij intelligite teneri, & quidem jure divino: ut ad populum tu ipse, si possis; aut si impediare, per alium idoneum concionem habeas, Dominicis saltem diebus, ac festis; nisi per Episcopum etiam inflictis pœnis urgeri malis: habes præterea perscriptum, quibus de rebus ad populum habenda sit Concio, de necessarijs ad salutem, de Virtutibus, de Vitijs, de Inferis, de Cœlo, de sacris Eloquijs, de monitis salutis, de lege Domini: habes etiam modum, quo instruere debes: ut scilicet ad

commodatè tuæ, & tui gregis capacitati, utq; sermo, postpositis inutilibus quæstionibus brevis sit, & facilis. De loco nihil præscribit: conscendes suggestum, aut ex editiore gradu dices: prout mos, & res postulârit: in sacris enim novitates cavendæ, quòd admirationem, & murmurationem pariant: decet autem ut concioneris in veste sacrâ, & cum stolâ: nisi exhortatiuncula subindè potiùs futura esset, quàm concio.

NUM. III.

Virtutes Ecclesiastæ, seu sacri Concionatoris.

QVæres ex me fortassis, ut qui concionandi neccdum sis vel peritus, vel satis expertus, & ego instructorem me profitear; quid sentiam sectandum, aut fugiendum sacro Concionatori, aut quænam sit ars, vel methodus sacræ Eloquentiæ: rem petis sanè difficilem, & prolixam; obsequar tamen tibi; sed succinctè, & paucis pro meo instituto, & modulo.

Virtus præcipua sacri Concionatoris Exemplum bonæ vitæ: maximum vitium, vita improba: hoc Timotheum mo-

nebat Apostolus, *attende tibi, & doctrinæ:* uni verò minùs probro concionatori pro turpi probro idem Apostolus vertit, *qui alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum furaris?* rectè utrumque Sanctus Ambrosius complexus, *antè vita,* inquit, *quàm doctrina quærenda est: vita enim bona sine doctrinâ habet gratiam: Doctrina verò sine vitâ integritatem non habet.* quamobrem *si sapis* (Sanctum Bernardum loquentem audis) *concham te exhibebis, & non canalem: hic siquidem pœnè simul & recipit, & refundit: illa verò, donec impleatur, exspectat; & sic quod superabundat, sine suo damno communicat.* Deinde mordax acetum aspergit: *canales multos hodie habemus in Ecclesiâ; Conchas perpaucas; multi enim loqui, quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt:* ne tu sis ex illis; pudor esset, & probrum. Igitur quod S. Hieronymus graviter monet, *ne cùm non confundant sermones tuos opera tua: ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cui igitur hæc, quæ dicis, ipse non facis?* Cæsar, ut militem ad pugnam provocaret non mittebat: sed præibat hac voce verè Imperatoriâ, *veni huc miles,* non illâ ignavâ, *vade illuc.* Joannes Bapt. prædicabat pœnitentiam: vociferabatur ille non linguâ

magis,

magis, quam manu: Christus faciebat, & docebat, Paulus egregius ille Concionator tonabat ore, moribus fulminabat, & alter Paulus Chrysostomus os quidem habebat aureum; sed vitam ceu aurum.

Altera virtus sacri Ecclesiastæ esse debet Conjunctio cum DEo, & familiaris ad eum recursus, præsertim cùm patanda, aut habenda est concio. .is vir Orationis, hoc monet Sanctus Augustinus: *Priùs quàm erigas proferentem linguam, ad DEum leva animam sitientem; rationes cum DEo pone, voluntatem ejus exquire, ab eo dicendarum rerum consilia cape, re benè gestâ ad DEum recurre, gratias age, coronam appende.* Samuelis ea erat vis dicendi: ut ex omnibus verbis ejus, nihil in terram caderet; unde putas? nimirum noctes, diesque ante aram Domini precibus vacabat. Quid verba, nisi levis halitus? DEus est, qui facit ventis pondus, cymbalum tinniens eris, auras, & aures tantùm verberans; nisi Divina vis audientium cor pulset, & moveat: ita sentiebat Isaias, cujus polluta labia Seraphim ad aram ignito calculo purgarat: *Dominus*, ait, *dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est*

verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem: ut audiam, quasi magistrum.

Audies & tu: sed vide ut benè purgatâ conscientiâ: non enim in malevolam animam introibit sapientia: neq; verò desunt auctores, qui sentiant piaculum esse peccati mortalis conscium concionari; quod etsi de peccatore publico, aut valdè irreverenter, & contemptim id agenti verum sit: negari tamen non debet plurimùm in eo statu Divinos fructus concionum impediri. Porrò quædam aliæ magis particulares, & propriæ in Ecclesiaste sacro virtutes requiruntur: imprimis, animi summa demissio, tùm quia DEus humilibus dat gratiam, superbis resistit: tum quia cùm Divinum quidpiam sit, & sublime ex edito, cœteris tacentibus, & defixis, de rebus altissimis concionari: nihil faciliùs, quàm insolescere, & plus nimio efferri, nisi sancta humilitas intra modum contineat. Præterea ardere, & alios incendere debet ingens zelus animarum; Exemplo sit magnus ille prædicator Paulus, cujus illa vox, *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar*

pendat ipse pro animabus vestris: Thimotheum verò ad ardentes zelo conciones animans, *prædica*, inquit, *verbum, insta, opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ, & doctrinâ vigila in omnibus, labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.* Verùm huic zelo Comes esse debet vel maximè Prudentia: ut plus nimio ardentem animum, & verborum vehementiam refrænet: ne imprudenter homines magis, quàm vitia carpas: ne publicè privata quorumdam peccata castiges: ne nimiâ exaggeratione, cœcové animi impetu rapiare: quo in genere non paucê peccant, qui indiscretâ libertate viros nonnunquam Principes, & Magistratus coram populo, alieno loco, & tempore vulnerant: cùmq; nasū emungere volunt, sanguinem eliciunt, gravi offensione, & scandalo, fructu nullo. Fateor tamen fortitudine etiam, & constantiâ animi opus esse concionatori: ut difficultates perrumpat; neq; se sinat aut minis terreri, aut blanditijs enervari, nevé potentiorum cupiditatibus serviat; opponat se potiùs fortiter murum pro Domo Dei, canis sit denique

qui latret, sed rabidus non sit: quam rem moderari, & ad trutinam expendere debet magistra illa concionandi Prudentia.

NUM. IV.

Artis sacræ Eloquentiæ Compendium.

BOni concionatoris artem, quia id etjam à me requirebas, perpaucis præceptis complectar. Primum præceptum. Ingrediendum primò tibi in densam sylvam, in quâ arbores præscindas, quibus concionem construas, comparanda, inquam, tibi est materia totius concionis, quo in genere ante omnia certum tibi thema præfiges, quod deinde accuratè tractabis: thematis autem delectus esse debet, & ferè ex Scripturæ sententiâ depromptum appositè, & congruenter loco, tempori, auditoribus: artis est thema propositum esse ejusmodi: ut partiri possis in plures partes concionis, uno veluti ductu, & filo orationis. Porrò themata non sunt unius omnia generis: quædam in genere exornatorio,

præ-

præſertim in DEi, Divorumque laudem verſantur; pleraque in ſuaſorio, cùm ad virtutes exhortandus, concitandusque populus, aut à vitijs revocandus: illa priora poſtulant pluſculum nitoris, & ornatus; poſteriora plus palæſtræ, & concertationis.

Secundum præceptum: Poſtquam tibi thema definieris, intra quod, veluti intra gyrum, excurras; tum conquirenda erunt argumenta, quæ ad rem propoſitam illuſtrandam, deducendamque facient. Ea porrò depromi poterunt præcipuè ex ſacrarum litterarum Tabulario, Pontificiorum Canonum, & ſanctorum Patrum locuplete Theſauro, Eccleſiaſticorum Scriptorum hiſtorijs, ex Philoſophorum ſubinde porticibus, aut lyceis: denique rationis, præſertim fidei luce illuſtratæ, gravibus momentis. Verùm hîc vitia tibi aliquot fugienda, ne Scripturam ſacram unquam ſenſu in medium proferas à mente Eccleſiæ, & ſenſu ſanctorum Patrum alieno: eam ob rem Commentarios habeas eruditos; cave autem ne ad prophanos ſenſus, ne dicam

ad jocos, & facetias, usurpes; sanctos Patres ne ita densè, & prolixè longissimis sententijs ad memoriæ ostentationem recites; ut alijs memoriam confundas; sensum contrahe, & eorum verbis tantum pronuntia id, quod ad rem facit. In Philosophis, & historijs prophanis ne sis multus; ferè nullus in Poëtarum fabulis; nam quid hæc profana, in sacris adytis, & quid gemmas in luto quærere? quid toties in templis crepare Platones Divinos, Socrates plusquàm Christianos, antiquorum Romanorum virtutes ubique proponere pro exemplis: quasi nos Christianâ Philosophiâ, sacris aut historijs, aut omnium virtutum exemplis, in sacris biblijs, aut nostris authoribus careremus? scilicet Babylonem reædificabimus, confundemus linguam nostram, & Joves, aut Junones colemus.

At, inquies, Sanctus Paulus Poëtas citavit; nimirùm semel in Areopago, bis fortassis in tot concionibus: imò verò, inquies, sancti Patres, Justinus, Gregorij duo, Augustinus, Hieronymus frequentiùs: Basilius ipse librum scripsit de utilitate

tate ex Græcorum libris capiendâ: quid de Cypriano Augustinus? *Aspiciamus*, ait, *quantum auro, & argenteâ veste subfarcinatus exierit ex Ægypto Cyprianus.* Verùm audi, bone vir, illa tunc erant tempora: quibus cum Gentilibus eorum armis depugnandum esset, & tamen illi ipsi quos nominas, ex rebus nostris longè plurima dicebant, & ratiocinabantur.

Tertium præceptum. Tùm verò in præparatam materiam inducenda quasi forma, stylus scilicet, & character dictionis: quod prolixum esset, verbo uno, alterové accipe. ne in concionando sis leviculus, neq; mimicus: sed serius, & gravis: hoc à te postulat rei sacræ dignitas, quam ij violant, & profanant; qui floridæ ætatis, nondũ satis decoctæ, ad ostentationis verò vanitatem incitatæ, cùm primum è scholis ad sacra pulpita conscendunt, concionem flosculis Rhetorum luxuriantem magnâ volubilitate, voce stentoriâ, gestu corporis tornato, & histrionico adferunt; egregij scilicet, & vendibiles oratores; idque pulchrum, & divinum existimant: itané Ecclesias in scenas, conciones

ciones in theatrales ludos convertemus! hoc tu vitium execrabere, & ut ridiculum, fugies: sacra Eloquentia matrona est nobilis, non puella nubilis; in serijs rebus occupari, graviter loqui, modestè vestiri, & incedere debet: non nucibus pueriliter ludere, non futilibus nugis garrire, non fuco adulterare faciem, non molliter incedere, non aures denique, & auras procari.

Quartum præceptum. Exordia ne longa sint: ferè ducantur à re ipsâ proponendo thesim, mox hypothesim, tum rem totam dividendo: ut statim auditor sciat, quid, & quo ordine dicendum sit. Extra genus laudatoriũ narrationes nec unius loci sunt, nec frequentes occurrent: subinde paraphrases sacræ historiæ placent: quas decorè, & appositè deduces. Præcipuum pondus est in argumentis afferendis, & deducendis, refutandisque adversarijs. Peroratio concludet concionem: si erunt recolligenda capita, ne fiat putide, aut prolixè: urgeatur præcipuum argumentum: locus hîc maximè est concitandis affectibus: ex

ex abrupto finire subinde habet gratiam; ut sæpè fiat, non probo.

Præceptum ultimum: Quod propemodum exciderat, cave in concionando ne mentiaris, sivè in citandâ Scripturâ, aut referendis vitis Sanctorum; sivè in moribus docendis, aut instruendis; grave hoc foret, ideòq; in his nihil adferas asserendo in doctrinâ, quod nescias. huc ferè eôdem istud pertinet: ut dubia, si incidant, pro dubijs proponas: abstine verò à novis miraculis prædicendis, aut vulgi sermonibus jactandis. Ego jam artis sacræ Eloquentiæ Compendium tradidi, alij fusiùs explicant: adibis, si voles.

CAPUT II.

Catechefes, Scholæ, Confraternitates.

NUM. I.

Catechismi.

Catechesis instructio est rudium de primis scilicet doctrinæ Christianæ capitibus, & maximè ad salutem necessarijs, ac veluti primis rudimentis. Eam Apostolus comparat Lacti, & Elementis,

facti estis, inquit, *quibus lacte opus sit, non solido cibo, & indigetis: ut doceamini: quæ sint Elementa exordij sermonum DEi;* In hunc sensum Sanctus Hieronymus accipit illud Isaiæ: *Filiæ tuæ lac sugent, suges lac gentium, & mamillâ regum lactaberis:* neque difficile est hinc intelligere non modò utilitatem; sed præterea necessitatem catechizandi rudes, jam à primâ ætate: ut simul cum lacte nutricis, præcipua illa fidei nostræ dogmata imbibant: sine quibus nec Christianè vivere, nec saluari possint: rectè de hac re sapiens, *fili*, inquit, *à juventute tuâ excipe doctrinam, quasi is qui arat, & qui seminat; accede ad eam, & bonos fructus ab eâ expecta.* nimirum non hîc de vocibus, ut in Grammaticis, & Rhetoricis; non de rerum naturâ, ut à Philosophis; non de curâ corporum, ut à Medicis; non de sartis tectis, ut à Jurisperitis; sed de divinis, hisque præcipuis mysterijs agendum. Tanta hæc res est, & tanti: nam hac prætereà doctrinâ innumeri errores, & hæreses ex imperitorum animis vindicantur, vel evelluntur: hac Veneficia, & Superstitiones sagarum, & Mago-

Magorum ob ignorationem Christianæ institutionis inductæ depelluntur; hac deniq; mores ad vitam Christiano homine dignam, præceptisq; DEi, & Ecclesiæ consentaneam informantur: neq; verò pueris tantùm hæc prodest eruditio: sed etiam graviori ætati, quæ vel cum pueris, vel à pueris discit, quæ nesciebat: quare meritò Trident. Concilij Patres sanctissimè sanxerunt sess. 24. cap 4. de Ref. ut omnes Parochi diebus festis non solùm habendis ad populum concionibus vacarent; sed etiam tradendo Catechismo rudiores in fide edocerent: quod tibi eò magis ex officio pastoris incumbit, quô hæretici suis erroribus propagandis per Catechismos, diligentiùs student. quid autem turpius vigilante, & undique grassante lupo, pastorem simplicium agnorum, & ovium curam abjicere? At, inquies, vile, & abjectum hoc munus; & puerilis occupatio, neq; tam pastoris, quàm ludimagistri: Itané verò? atqui Regius omnium disciplinarum professor Salomon rudes, & pueros vocabat, *qui est parvulus*, inquiebat, *declinet ad me*. Et Christus plusquàm

quàm Salomon, *sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum DEi, & imponens manus super illos, benedicebat;* Magister igitur ille, & princeps pastorum Catechistam agit, se parvulis perquàm familiarem exhibet, ad se jubet adduci, venientes amplectitur, exosculatur, manibus impositis benedicit; cum pueris quodammodo repuerascit: tu vile hoc ministerium tibi fore existimas? non ita Paulus, *omnibus omnia factus, in medio eorum erat tanquam parvulus, ac si nutrix foveat filios suos:* Lac ille præbebat, ille iterum parturiebat, donec in illis Christus formaretur. Olim catechumenis instruendis laborabant Pantænus, Clemens, Origines, Heraclus; Quanti Viri? S. ipse Hieronymus jam senex, cùm multa Præcepta ad Lætam pro Institutione filiæ dedisset: *Ipse*, inquit, *si Paulam miseris, & magistrum me, & nutritium spondeo, gestabo humeris, balbutientis senex verba formabo.* Prætereo Sanctum Vincentium Fererium è familia Sancti Dominici, Magnum Academiæ Parisiensis Cancellarium Gersonem; Parentem Societatis JESU Sanctum Ignatium, Indorum Apostolum

Xave-

Xaverium præcipuorum Patrum Societatis JESU longè plurimos, quibus id institutum semper fuit, teneros & judicium puerorum animos Christianæ disciplinæ præceptis imbuere, tanto fructu, quanto omnes facilè vident. Præmittere debueram Sanctum Carolum Borromæum, Archiepiscopum Mediolanensem, qui per Provinciam decretum Tridentinum de Catechisandis rudibus ita per alios est exequutus: ut etiam ipsemet puerorum se insereret cœtui, quibus lac Christianæ Doctrinæ præberet: atque hinc excitata illa multis locis, & indulgentijs locupletata Confraternitas Catecheseos: cujus studium est, juventutis instructioni invigilare; & eniti: ut tam sanctum munus non segniter obeatur. Credo neque te jam dedignaturum: quòd si vel tibi nimis onerosum, vel ne quidem vacet; officij hanc tui partem committes Coadjutori, siquidem domi habes, aut (quod tibi erit facillimum) unum aliquem ex hominibus Societatis JESU, evocabis, si voles, qui vices suppleat: nam (ut modestè hoc de illis dicam)

Lau-

Laurentius Beyerlinck, Canonic⁹ Antverpiensis, vir eruditione, & vitæ humanæ Theatro celebris, de Societate ita scribit. *Nostro sæculo sedulò, & miro cum fructu catechizationi juventutis Religiosi Societatis IESU incumbunt, vel hoc nomine celebrandi; quòd hanc rem Ecclesiæ DEI utilissimam magno zelo curent, & exactâ methodo: sic ut proprium eorumdem munus videatur, teneros puerorum animos Christianæ disciplinæ formulis velut cum ipso lacte imbuere.*

NUM. II.

Brevis benè Catechizandi methodus.

HÆc etiam res benè Catechizandi, etsi vulgaris videatur, suam artem habet, & methodum. Tradam brevi compendio. Inibis numerum puerorum ab anno septimo circiter, usq; ad annum decimum sextum: monebis pro concione parentes, de necessitate hujus institutionis, & munere tui officij; urgebisque, ut pueri, quorum catalogum confeceris, & alij rudiores compellantur ad audiendum Catechismum in æde sacrâ; quo tempore judicabis id fore opportunius;

fere

ferè commodiùs est: ut post meridiem, pulsu campanæ convoces: in navi templi humilia scamna disposita sint, quibus consideant pueri, & puellæ seorsim. adsit æditiuus, vel vir quispiam alius gravis, qui modestiam procuret, & attentionem: è plano, in communi tuo habitu sedens, stans, inambulans, prout libuerit, aut mos tulerit, Catechesim exordieris à signo Sanctæ Crucis clarâ voce, Sanctam Trinitatem invocando, quod cœteri facient: tum unusquispiam, quem designabis, linguâ vernaculâ Symbolum Apostolorum clarè recitet, reliquis per singulos articulos præeuntis vocem sequentibus; in fine verò catechesis eodem modo Orationem Dominicam, & Angelicam salutationem. Expediret subinde eorum loco præcepta DEi, & Ecclesiæ, & septem Sacramenta vivâ similiter voce pronunciari; ut eâ ratione, ex longo usu, summam illam rerum maximè necessariarum, omnes perdiscant.

Materia Catecheseos sunt ea ipsa capita nostræ fidei, quibus adde opera misericordiæ, septem peccata capitalia, & qua-

quatuor novissima hominis, & si quæ ejusmodi alia: sed per partes, neque una vice, & non nisi pauca, quæ diligenter inculcentur.

Modus, siue forma dictionis sit vulgaris, simplex, familiaris ad rudium, & imperitorum intelligentiam, quorum mens ignara est, debilis, & parum capax; sententiæ non ducantur longis periodis, neque tropis, aut figuris illustrentur, similitudines è vulgo sumptæ, & apposita ad rem exempla simul docent, & delectant, simul juvant intellectum, & memoriam: ferè per quæstiunculas, & responsiunculas doctrinam tra des, quam deinde jubebis jam ab his, jam ab illis stantibus fideliter repeti: ut firmiùs inhæreant. Tenera, & rudis ætas mirum quantum stimuletur commendatione, & laude, præmiolis, & rythmicis cantilenis: quare hæc etiam incitamenta, & illecebras adhibebis. ad laudem pertinet; si primarij è tuis, & puerorum parentes, aut domini intersint; qui sua præsentiâ catechesim honorent: non dedignabuntur, opinor, cùm ipsi

ipſi nonnunquam Reges, Viri Principes, Dynaſtæ, & primi è Magiſtratu adeſſe non dubitarint, & prœmia ipſi merentib⁹ diſtribuerint: his cupedijs inhiant pueri: quam in rem imagunculæ ſacræ, roſariola, cerei benedicti capſulæ, & libelli pij, tibi ſint ad manus; præſertim diebus aliquot ſolemnibus, ad quæ munuſcula accipienda, qui præcipuè rem egerint, quaſi in Theatrum honoris evocentur. Cantiones ſacræ rhytmis compoſitæ, & modulatæ ſub catecheſeos finem, primò memoriam juvant; quia numeris adſcriptæ ſummam rei breviter exhibent; ſecundò capiunt audentium animos; tertiò uſui ſunt: ut cantilenæ profanæ, hæreticæ, turpes aboleantur; cùm puriora, & ſanctiora illa in uſum veniunt.

NUM. III.

Scholæ.

De Gymnaſijs, & Academijs, principes viri, & ſummi magiſtratus curant: neque jam deſunt, qui majoribus ijs ſtudijs, & diſciplinis ludum aperiant. Parochis ea cura incumbit: ut triviales

scholas in Parochiâ habeant, in quibus ab idoneis magistris parva, & rudis Ætas primis saltem literarum Elementis legendo, scribendoque informetur; fitque tunc facilè, quòd teneri adhuc illi animi facilè imbuantur: refert autem id plurimùm bono publico, & vitæ hominum tum communi, tùm privatæ, ad erudiendum animum, & varia emolumenta. Olim Episcopi, in Concilio Oecumenico sexto (prout referunt Canones reperti Gandavi, in monasterio Sancti Bavonis) mandarunt: ut rurales Præsbyteri per villas, & vicos scholas haberent, & quidem gratis; nisi quid parentes spontè offerrent. Et in Synodo Moguntinâ anno 813. mandatur ut parentes filios mittant ad Præsbyteros, à quibus erudiantur: Igitur tui etiam erit id muneris. Magister, quem constitues non magis peritus hujus artis tradendæ sit, quàm probus, & sanæ fidei; ne cum puerili doctrinâ improbos mores, & errores impios, quod facillimum est, innocentibus animis infundat: nam ferè ut quisque à teneris opiniones, moresq; imbibit, servat in

in longam ætatem: quare attendendum; ne ex libris aut hæreticis, aut aliâ lue infectis, venenum hauriant. Præter literas aliqui, quibus purior, & gratior vox influit, etiam in cantu edoceantur; quô in rebus Divinis decantandis utiles evadant. Suæ etiam leges ſcholæ præfigantur, quas exactè obſervent. Prima, ſecundùm parentes magiſtrum colant, eique obtemperent. Secunda, in ſcholam ingreſſi coram ſacrâ aliquâ imagine *Pater* & *Ave* devotè recitent. Tertia, ne fabulentur, nugentur, ſcholam perturbent. Quarta, ne ſine causâ, & excuſatione abſint. Quinta, ad rem divinam bini deducantur, eique piè interſint 5. mendacia, furta, juramenta, blasphemiæ non tolerentur: ſed puniantur. Sexta, pueri à puellis ſeorſim erudiantur, nec ſinantur familiarius, nec publicè, nec privatim ludere, aut jocari; nocent hæc vitia, dici nequit quantum iſti ætati in omnem vitam. Lectiones brevi aliquâ precatiuncula ad DEum, aut Beatam DEi Matrem finiantur: Diebus Sabbathinis ante meridiem Litanias Lauretanas

ab uno præeunte altâ, & devotâ voce; post meridiem verò actum amoris DEi, & veræ contritionis act⁹ ex certâ formulâ ab omnibus per partes recitari plurimùm faceret; tum ut ipsi multo usu eas preces addiscant; tum ut alios domi easdem recitando, doceant. E re denique foret, in locis præsertim paulò celebrioribus, gynicæa, seu contubernia constitui, ubi adolescentiores puellæ puellaribus artibus instruerentur, ijs præsertim, quæ acu exerceri solent; ut commodæ & utiles aliquando esse possint vel famulæ, vel matres familias.

NUM. IV.

Confraternitates, sive Sodalitia.

SOdalitatum quarumdam instituendarum initia aliqui procul repetunt ex Marco Porcio Romanorum Prætore, qui receptis Sacris magnæ matris conflatam sodalitatem suo tempore gloriatur; in qua sodales, victu, & poculis cum æqualibus se oblectabant: unde sodales dicti, quod soli non ederent: ea deinde hucusque cum nomine propagata: nam cives ejus-
dem

dem opificij, aut artis, qui ad communes exercitationes congregantur, & collatis symbolis convivia agitant sodales, & eorum cœtus sodalitates appellantur: nomen deinde ad sacra traductum, & res in melius commutata: congregationes piorum enim hominum in eadem exercitia pietatis conspirantium, adscito è Cœlitibus Patrono, atq; sub certis legibus colligatæ Sodalitates, aut à fraterno spiritualis amicitiæ vinculo, Confraternitates vocamus. Celeberrima illa, quæ sanctissimi Rosarij à Sancto Domino, deinde ab ipsius sanctissimæ Familiæ Religiosis, longè, lateq; propagata est; & illa recentior, quam Gregorius decimus tertius in Collegio Soc. JESU Romano, sub titulo Virginis Annunciatæ, bullâ, & indulgentijs approbavit: Ex quâ veluti fœcundissimâ radice innumeræ sodalitates passim in Societatis JESU Collegijs prodiere. Sunt & aliæ quàm plurimæ sub alijs Patrocinijs, & nominibus, ac sanctissimis legibus, sanctæ Crucis, Venerabilis Sacramenti, Nominis JESU, sancti Rochi, sancti Sebastiani, & cæteræ; in quas

non modò plebei, aut rusticarij homines cujusvis sexus, opificij: sed Magistratus, Principes, Reges, Cæsares, ipsi etiam Patres purpurati, & infulati Antistites sua nomina inscribunt, cœtus frequentant, strenuè se exercent: sunt enim eæ velut scholæ, & gymnasia vitæ, & perfectionis Christianæ, in quibus crebræ exhortationes de divinis rebus, confessionis, & communionis Sacramenta crebriùs usurpantur: in frangendis verò cupiditatibus, & in salute etiam aliorum procurandâ, operibus misericordiæ, alijsque plus otij, laboris, studij impenditur: ex quibus mors tandem securior, lætior, ac ipsa denique beata vita consequitur: atque ij sunt plurimi, & maximi fructus istarum Confraternitatum; Jam vides, mi Neo-paroche, quò hæc spectent: nimirum; ut si quæ ejusmodi pia Sodalitia sint instituta, cures ut vigeant, floreantque. Si nondum extiterint, ipse zelo promovendæ divinæ gloriæ, & salutis aliorum studeas instituere: id verò hâc ratione demùm conficies.

In primis tecum, capto à peritis con-

consilio, meditabere, quid Nominis, aut Patrocinij esse velis, quas confici Sodalitatis leges: tunc privatim cum sanioris mentis, & melioribus Parochianis, posteà etiam in communi aliquorum cœtu, mentem tuam, & consilium aperies, & allatis ab utilitate, & aliorum exemplo rationibus in tuam sententiam pertrahere conabere; cùm verò pertraxeris, ipsorum nomine, & petitione, formandus erit libellus supplex ad Episcopum, cujus est istiusmodi piè instituta erigere, & stabilire: ubi ipse consenserit; comparabis ea quæ ad solemnem publicationem, celebritatemque pertinent; vexillum congregationis, in quo Patroni effigies, & sodalitij inscripto visatur, librum insignem, in cujus Album nomina Sodalium referantur; & alterum, in quo Magistratus Sodalitij, eorumque rationes, & statuta inscribantur: leges imprimendæ erunt; ut singulis Sodalibus distribui possint. Rebus ita ad publicam solemnitatem comparatis indicendus dies, qui ubi illuxerit, signo campanæ convocandus populus: majori apparatu processio,

missa, & concio habenda; post rem verò divinam, & à meridiè & deinceps nomina eorum, qui in sodalitatem adscribi volent, excipienda.

Pro Magistratu hi erunt; Parochus, velut Præses, Præfectus unus; duo Assistentes; & Secretarius, qui delecti esse debebunt ex primarijs, & melioribus parochianis: famulus unus adjungatur, qui idem æditus esse poterit: penes illos erit totius Sodalitatis, & earum rerum, quæ ad eam pertinent, administratio.

Legum præscripta hæc ferè continent. Qui inscribi volent, factâ confessione, si nihil obstet, de totâ vitâ; professionem fidei ex formulâ Concilij Tridentini emittant, deinde recipiant Eucharistiam, & per annum sæpius, diebus saltem solemnioribus, præsertim anniversario patrocinij: matutinis, & vespertinis oratiunculis, & examini Conscientiæ, rebusque alijs divinis diligentiùs, quàm alij, vacent: pro Sodalibus vivis, infirmis, defunctis orent: & si quæ alia pro specialitituli, & institutionis ratione facienda videbuntur. Denique virtutum Christianarum

rum exemplo omnibus, tum domi, tum foris præluceant: nam improbæ vitæ homines neq; admitti, neq; retineri debent. Indulgentiæ aliquæ pro ijs, qui ingredientur Confraternitatem, aut ex eâ ad aliam vitam decedent, aut leges observabunt, impetrandæ erant ab Episcopis; & aliæ pleniores à Summo Pontifice per Episcopum, vel Nuncium Apostolicum: neque ea res magno constabit: Compendiosiùs fiet, & cùm majoribus gratijs Pontificis, si alicui Archiconfraternitati Romanæ incorporatio, & ejusdem communicatio Româ petatur; neque difficile erit impetrare.

Sumptus, qui erunt necessarij pro missis, processionibus, aut similibus, fieri debebunt ex communi ærario, in quod eleemosynæ piorum Sodalium, viventium, aut morientium asservabuntur: Cavendum autem erit maxime, ne sordidè, & durè exigantur: id enim malè olet, & sapit avaritiam: Rationes reddentur quotannis, cùm magistratus, si opus sit, novus creabitur, circa festum Patrocinij.

CAPUT III.

De curâ scabiosarum ovium.

NUM. I.

Inquirendum in Advenas.

MOnet sapiens in sacris proverbijs Pastores tum ovium, tum animarum: ut probè cognoscere studeant, quos regendos suscip unt. *Diligenter*, inquit, *agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera*; non pertunctoriè scilicet, sed diligenter, neque ex obscuris tantùm notis, aut tenuibus vestigijs, sed ex vultu, qui speculum est animi; atque ita norat suas oviculas Evangelicus bonus ille Pastor, ut etiam nominatim singulas educeret. Maximè autem cura, & diligentia adhibenda: ut eas cognoscat, quæ scabiosæ, & morbidæ sunt, ne reliquas de grege inficiant. Itaque inprimis tibi attendendum exteris, qui secum corruptelam, & labem invehunt, mores, inquam, depravatos, primò latentem, deinde patentem animarum pestem: quare, quinam, unde, & quorsum Alieni-

nigenæ in tuum ovile irrumpant, vigil, ſeduluſq; explora, præſertim ſi non obiter hoſpitaturi adventent; ſed ſedem, domiciliumq; fixuri: Inquires igitur de ſtatu, ſolutine ſint, an conjugati, quos habeant in familiâ, cujus religionis, quorum morum, quas literas habent vitæ probæ teſtes; præſertim ſi homines viles appareant, vagabundi, aut qui inter gregarios milites aliquandiu vixerint. Porrò tria ſunt potiſſimùm genera ſcabioſorum hominum, qui à corruptelâ, & contagione alios maximè corrumpunt; neq; Advenæ ſoli; ſed etiam non rarò Inquilini, & quidem, ſub ovinâ nonnunquam pelle, lupi animarum: quibus noſcendis primùm incumbere debes, tum verò ſtudere; vel ut ex lupis oves evadant, vel in ſuâ pelle appareant, fugiantur, & nocere deſinant.

Ejuſmodi autem ſunt homines meretricij, magicis artibus dediti, & omnium peſſimi, hæretici, in quos propterà majori curâ, & ſtudio invigilabis:

NUM. II.

De Meretricibus.

HÆ lupæ plerumque in meritorijs tabernis,

bernis, & Ganeonum gurgustijs latitant; nonnunquam tamen in splendidioribus ædibus; ut & hæ non ad vagas libidines se prostituant: sed ut uni serviant nomine pro ancillâ, re pro concubinâ: inquire igitur diligenter; an ejusmodi lupæ tuũ Ovile infestent: si attendas, facilè deprehendas ex corporis habitu, ex impudentiâ, ex digitis Juvenum, qui monstrant, *hæc est:* vestes supra modum opulentæ, & varij tum coloris, tum artis, frons effrons, oculi gyrovagi, genæ fucatæ, cervix, & pectus intecta, manus inquietæ, incessus aut fracti, aut præcipitati: halitus oris obscœnitates eructat: has lupas arce procul à grege: modum scient Episcopus, & Magistratus, censoriæ leges expellent.

NUM. III.

Artes Superstitiosæ, & Magicæ.

IN hoc pestilens malum naturæ nostræ corruptela, damnanda curiositas, & amor insanus conservandæ aut sanitatis, aut propriarum rerum sponte propensos, præcipites agit. Sunt verò nec pauci, qui eas artes non modò in pagis, sed etiam in

Urbi-

Urbibus, neq; tantùm clàm, ſed etiam palàm profitentur: plures etiam ſunt, qui didicerint, & edoceant. In hâc ſuperſtitioſorum hominum colluvie ſæpè deprehenſi Cuſtodes ovium; qui ut lupos, aut morbos à pecore, vel hominibus arceant, vanis obſervationibus, herbis nonnunquam, aut Magicis rebus utuntur. Eòdem ferè pertinent fabri quidam ferrarij, qui equis curandis ſuperſtitioſos ritus, & verba nonnulla ſacra uſurpant: attendendum autem maximè aniculis, quæ ſchedulas, herbas, malas preces, morbis avertendis, aut pellendis, curandis vulneribus, ad partus felicitandos, ad eventus proſperos, venditant, & verò emuntur; Jactantur etiam chartulæ altorum, ut vocant, nominum, DEi vocibus Hebraicis, cruculis impreſſis, nonnunquam Bullis Summorum Pontificum, & Indulgentijs ementitis: quibus adde phyltra amatoria, maleficia Sagarum, carmina Magorũ, ſortilegia, divinationes. His peſtibus deprehendendis, & extirpandis, ut res ſummi eſt momenti: ita acre ſtudium, & gravem operam impendes non tantùm

privatim: sed etiam in id incumbes publicis concionibus, datâ, captâvé occasione; in quibus populo ostendes primò gravitatem hujus flagitij, crimen enim est læsæ Divinæ Majestatis in primo gradu, quippè rebellio, & defectio à DEo ad ipsius capitalem inimicum, & juratum humanæ salutis hostem, secundò patefacies Dæmonis nequitiam, fraudes, atq; imposturas: qui cùm sit pater mendacij, sæpè fallit, & illudit; ut experientia docuit in multis, qui cùm spem suam in Magicis artibus posuissent, miserrimè reperti sunt perijsse cum suis schedis, & maleficijs; quod Dæmon unice spectat, & expectat: quòd si aliquando speratus effectus sequitur, DEo in pœnam permittente: interim animæ pernicies creatur pro animalium, corporum, aut externorum levi, & brevi commodo, quæ maxima est insania. Rectiùs Vir quidam sapiens, cùm ad morbum lethalem pellendum Diabolica ei remedia proponerentur, malo, inquiebat, cum DEo mori sine tali medico, quàm sine DEo vivere medico Diabolo.

Neque verò desunt artes medicæ, &

& naturales, quæ ſine culpâ adhiberi poſſint, aut varia Chriſtianæ pietatis remedia, reliquiæ Sanctorum, ſacræ Imagines, Aqua benedicta, Agnus, cereus, preces ab Eccleſiâ probatæ: quibus, quando ita viſum fuerit DEo, qui ſolus vitæ, & necis Dominus eſt, morbi depelli, & incolumitas corporibus, & rebus noſtris impetrari poſſit.

NUM. IV.
De Hæreticis.

HÆc omnium teterrima eſt peſtis: nam ipſe *eorum ſermo*, teſte Apoſtolo, *ut cancer ſerpit*: eſt hic morbus gangræna, pernitioſiſſimum malum; nam primò partem, quam occupat, corrumpit, mox viciniorem, & hæc ſibi propinquam; donec cor, totumq; hominem inficiat, & perdat: ita hæreſis unum primò, mox alterum, atque alterum, tandem vitio ſe proſeminante integram communitatem venenat, atque corrumpit, quanto exitio animarum? *Arrius*, inquit Sanctus Hieronymus, *una ſcintilla fuit, quia non ſtatim oppreſſa, totum Orbem ejus flamma depopulata eſt*; Quare primos Chriſtianos Sanctus Joannes, ſollici-

tus pastor, movebat Cane pejus, & Angue, caverent ab hæretico, eumque haberent pro excommunicato, *non recipiatis*, inquiebat, *in domum, neque ei ave dixeritis*; Sanctus verò Cyprianus, *declinent*, inquit, *& evitent dilectissimi fratres nostri verba eorum, quorum sermo, ut cancer serpit; nulla cum talibus commercia, nulla convivia, nulla colloquia misceant, sintque ab omnibus tam separati; quàm illi ab Ecclesiâ profugi.*

Quæres ex me, quid ergo mihi cum talibus aut spei, aut rei est? Primò argue, argumentis, inquam, impugna; si ea arma tractare noveris; sin minùs, obsecra: Juvit nonnunquam benevolentiæ signa cum officiorum delatione ostendisse: est enim suavitas maxima animorum conciliatrix; si hæc non juvant, usurpa pastoris, quâ polles, authoritatem: hoc enim etiam Apostolus monet, *Increpa*: abstinebis tamen à contumelijs, & convitijs in hominem; & sceleris convince, quòd tot damna Ecclesiæ intulerit, tot regnis vastitates, tot corporibus clades, tot animabus exitia Hæresis invexerit. Reliqua Spiritus S. & Christiana prudentia suggeret; si preces, & consilia adhibue-

bueris: neque enim una eademque est ratio conversandi, tractandique cum hæreticis.

NUM. V.

De libris obscænis, superstitiosis, hæreticis.

SI verborum obscænitas; si traditio artis Magicæ; si hæreticorum sermo tantum nocent, quantum vidimus, cùm levi per aërem transitu aures, animosque tetigerint: quid fiet, si ista litteris efformentur, prælo imprimantur, edantur in lucem, evulgentur; atque ita in oculis, manibus, sinu versentur, per otium sæpè sæpiùs audiantur, legantur, memoriæ mandentur? præserim si stylus concinnus sit, & lepidus, si aspersi flosculi eloquentiæ, luceat character, adjiciatur vestis è serico, & aureus, gemmeusque umbilicus. vides in ejusmodi libris quantum misceatur, & propinetur venenum: pauca sigillatim perstringo.

Lacedemonij, Archiloci parùm pudici Poëtæ libros exportari jusserunt: prisci Ro-

Romani lascivos Scriptores non modò; sed etiam eos, qui ijs faverent, publicos grassatores appellârunt; Augustus Ovidium, Doctorem amoris, ejusque Interpretes, quod juvenum animos corrumperent, in exilium misit. Concilij Tridentini hæc est Censura, *Libri, qui res lascivas ex professio tractant, narrant, aut docent, cùm non solùm fidei: sed & eorum, qui ejusmodi lectione facilè corrumpi solent, omninò ratio habenda sit; prohibeantur; & qui eos habuerint, severè ab Episcopis puniantur.* Ubi nunc estis Censores, & Prætores, ubi sanctæ leges? interim per portus, & portas Urbium, in officinas Bibliopolarum, in scrinia, in manus, in sinus invehuntur turpes, & infames libri, imò venduntur in nundinis, & foris; aut à circumforaneis, etiam propemodum à filijs invitis, ingeruntur. Jam verò de libris superstitiosis, ac Magicis acrius judicium, suppliciumq; ferri par esset; quòd graviùs noceant; Diabolicas enim artes majori pernicie evulgant; certè Magus ille celebris, quem sanctus Augustinus convertit, codices suos incendendos attulit; per quos (ut ipse Augustinus refert) fue-

fuerat incendendus: ut illis in ignem missis; ipse in refrigerium transiret. Honorius certè, & Theodosius Imperatores sanctissimis decretis sanxerunt ejusmodi libros in oculis Episcoporum comburendos: sed nihil in hoc genere antiquiùs, quàm quod refert Sanctus Lucas in Actis Apostolorum; multos, qui fuerant curiosa sectati, contulisse libros suos, & combussisse eo numero, ac pretio: ut æstimatio fuerit denariorum quinquaginta millium: Græcus, & Syrus habent argenti quinq; myriadum; id est (ut Budeo placet) quinies mille aureos nostræ pecuniæ: nimirum noxa, quam ejusmodi lib.. inferunt, nullo pretio satis compensari potest.

Sequuntur libri hæretici, omnium perniciosissimi: nam fidem ipsam totius Religionis, omniumq; virtutum fundamentum, planè evertunt. Sanctus Gregorius Nazianzenus eos Aspidum ova appellat, quod serpentum genus est venenatissimum: ut enim ex ovis Aspidum Aspides: ita ex Hæreticorum libris Hæreses enascantur: ut meritò perpetua Ecclesiæ consuetudo, & nunc etiam lex sit; hæ-

hæreticorum libros non minori pœnâ, quàm incendio puniendos: Ita Concilium Nicenum Arrij libros igni addixit: Constantinus Imperator id de alijs fieri jussit, propositâ etiam pœnâ capitis; si quis eos occultasset. Theodosius libros Nestorij ad ignem quoq; condemnavit; Valentinianus, & Marcianus sanxerunt: ne Eutichetis libros quis legere, aut habere auderet: sed diligentissimè quæsiti cremarentur. Deniq; Concilium Tridentinum indicem librorum hæreticorum confecit: ut omnes scirent, qui essent exurendi. Quid, inquies, ista ad me, aliosvé Parochos? viderint fidei Inquisitores, & Episcopi. Verum quidem est judiciariam potestatem, & pœnam coërcitivam propriè ad Inquisitores, aut Episcopos pertinere: tamen tuum, & cæterorum cura esse debet, ut à grege tuo perniciem arceas, si bono modo possis: neque verò desunt subinde modi, quibus id liceat. Si probabiliter suspiceris penes aliquem libros ejusmodi vetitos retineri; indaga prudenter modum, quo in manus tuas veniant: tum persuade ijs, ad quos per-

pertinent; ut in hâc re Ecclesiæ pareant; eosque igne, vel aliter perdant: si nolint; fac, ut tibi permittant: si hoc etiam recusent: utere tuo jure, quo licet arma, aut venenum non reddere ei; qui abuti velit: facias tamen, ut is non putet te servare velle in tuos usus; vim cave ne adhibeas, neque tumultus excites, hæc si times, rem totam defer Episcopo: suffecerit tibi te officio functum fuisse.

CAPUT IV.

De Curâ afflictarum ovium, sivè miserabilium personarum.

NUM. I.

Obligatio juvandi miseros.

SIcut in grege oves afflictæ majorem, & impensiorem opem à pastore suo exigunt; ut oviculæ illæ erant apud Ezechielem infirmæ, ægrotæ, confractæ, abjectæ: Ita in parochijs personæ miserabiles; cujusmodi sunt Pauperes, præsertim si infirmi. Viduæ, Pupilli, Orphani, Incarcerati, alijque ab omni auxi-

auxilio deserti, homines, atq; à potentioribus oppressi, à suis parochis opem, operamq; peculiarem deposcunt; singularique jure expectant: Nam etsi Christiana charitas hoc officium etiam à cæteris repetat: Meritò tamen Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. de reform. id propriè à parochis requirit, *Cùm præcepto*, inquit, *divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, & pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere; Sacrosancta Synodus eos admonet; & adhortatur: ut divinorum præceptorum memores, gregem suam pascant.*

Inquires igitur diligenter, (hoc enim primum est) quænam sint inter tuos personæ miserabiles, id est, quæ commiserationem meritò commoveant, dignæque sint, quarum miseriam subleves operibus misericordiæ, quæ Christus ipse in Evangelio suis commendat: & sibi ipsi in miseris exhiberi profitetur: de quibus Lactantius in Epitome Divinarum Institutionum hæc enumerat, *si quis*, ait, *victu indiget, Impertiamur: si quis nudus occurrit, vestiamus: si quis à potentiori injuriam sustinet, eruamus: pateat domicilium nostrum vel Peregrinis, vel Indigentibus tecto: Pupillis defensio, viduis*

viduis Tutela nostra non desit: redimere ab hoste Captivos magnum misericordiæ opus est: item ægros visitare, fovere inopes, aut Pauperes: si obiverint, non patiamur Insepultos jacere. Hæc etsi cæteris communia esse debent: singulariter tamen ad te propiùs spectant, qui hoc munus tibi fecisti proprium, cùm suscepisti personam Pastoris.

NUM. II.

Cura Pauperum.

QUia hoc hominum genus præ cæteris habetur vile, abjectum, & à quibus nihil speretur: vel parum; ut opibus; ita aliorum auxilijs destituuntur; quô fit; ut facilè omnium injurijs pateant, nulloque negotio, præsertim à potentioribus opprimantur; tum verò maximè, si in jus trahantur: nam etsi æquitate causæ superent, quia tamen nemo est, qui Patrocinium, aut defensionem suscipere velit, judiciorum, judicumque iniquitate proteruntur, nisi DEUS ipse (quod facere solet) patronus assistat, ipsosque judices in judicium vocet idem pauperis Defensor, & Vindex; quare pauperum oppresso-

pressores illos monet Sapiens: *non facies violentiam pauperi, neq; conteras egenos in portâ* (hic erat Judæis locus judiciorum) *quia,* inquit, *Judicabit Dominus Causam ipsius, & configet eos, qui confixerunt animam ejus.* Gravis sententia! pauper, quia pauper, tueri se contra vim potentiorum non potest, ergo honoris, corporis, tenuissimarum, si quæ reliquæ sint, fortunarum causâ, per vim ad Tribunalia trahitur, & (quod destituto ab omnibus facillimum est) prosternitur; at ecce cùm homines desunt, adest DEUS; non Patronus modò Pauperum; sed iniquorum Judicum Judex, eosque de iniquitate convictos, qui Christum in pauperibus crucifigebant, pœnâ talionis configit, & ad Crucem, certè ad graves, nonnunquam ad sempiternos cruciatus justissimâ pœnâ confixos addicit. non sum ego, inquies, aut Advocatus causarum, aut Judex, qui pauperum causas suscipiam, aut tuear; multò minùs, qui pro ijs sententiam proferre possim: imò verò fac, ut sis: & certè potes. Hoc DEUS, cujus in hoc negotio vices geris, hoc â te jus muneris pasto-

paſtoralis depoſcit. primùm quidni pro ſuggeſtu declamitas, in pauperum oppreſſores, in Judices corruptos, quidni Advocatos urges: ut Ivones ſint, miſerorum cauſas gratis ſuſcipiant, & contra vim potentiorum tueantur? in hanc ſanè concionem multa tibi ſuggerent ſacræ literæ, & ſancti Patres: quidni prætereà, ſi quando noveris pauperem quempiam iniquo judicio vexari, aut periclitari ipſius innocentiam, ipſe boni viri fidem, & patrocinium imploras, ipſum Judicem adis, æquitatemque commendas. Porrò alia quædam eſt pauperum miſeria Judiciorum iniquitate frequentior, & communior, quàm faciliùs ſublevare poſſis, inopia ſcilicet ipſa, & paupertas. Atqui hæc tibi cura eò magis incumbit; quò magis hoc tibi competit nomen, *pater pauperum.* Et habes in hoc genere præclara Paſtorum exempla, quæ imiteris; Gregorios Magnos, Joannes Eleemoſynarios, Baſilios, Thaumaturgos, Paulinos Nolanos, Carolos Borromæos: habes prætereà ad imitandum acres ſtimulos ex virtutis hujus commendatione, ex ſacris Literis, ex

sanctis Patribus, & rationum momentis; profectò sublevare miseriam inopum tam homini innatum, quàm hominem esse: hæc enim propriè est humanitas, imò supra humanum quidpiam, & planè divinum. *Nihil tam divinum homo habet*, inquit Gregorius Nazian. *quàm de alijs benemereri: fac calamitosis sis DEus Divinam misericordiam imitando. Lex divina est, præcipio tibi: ut aperias manum fratri tuo, & pauperi: frange esurienti panem tuum, egenos, vagosque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum: uno verbo date Eleemosynam.* nihil certiùs isto oraculo *date, dabitur. hæc ars omnium artium quæstuosissima est*, inquit Chrysostomus, *quâ datis parvis adipiscamur magna: dare parum argenti, & die illâ horribili audire verba nulli regno conferenda, Esurivi, & dedisti mihi, quod comederem.* Sat ista, inquis, scio, & aiijs concionari ipse soleo: sed tu modum mihi suggeras, quo pauper ipse pauperum miserias sublevare non possim: placet. primò, opinor, non ita omnium rerum eges: ut duo saltem minuta tibi non supersint, quæ conferas in Gazophylacium: deinde etiam, opinor, nosti præceptum Tobiæ senioris ad filium: *Quomodo poteris: ita esto misericors;*

cors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, etiam exiguum impertiri stude. fortè habes duas tunicas, fortè mensam superfluam, & supererit aliquid, si luxum vestium, luculentam supellectilem, sumptuosiora convivia nonnihil castigaveris; si contentus sis habere quô vivas, & vestiare: nam, quæ S. Hieronymi sententia est, *si plus habes, quàm tibi ad victum, vestitumq; necessarium est, illud eroga, & in illo debitorem te esse noveris.* Sanctus Ambrosius etiam Calices, & sacra Vasa comminuenda censebat, si ea esset pauperum necessitas. Quòd si tandem tam egenus sis: ut conferre ipse nihil, aut parùm possis: Ditioribus publicè, & privatim Pauperes impensè commenda; & cum Magistratu age; ut, quod Apostoli faciebant, colligatur per domos, quod in egenos conferatur: si quæ verò fundationes sint in pauperum usus factæ, cura: ut in eos impendantur, non avertantur aliò, aut malè impendantur.

Neque dicerunt alij modi, si ingeniosa charitas excogitet. Scio alicubi consuetum fuisse: ut cùm convivia ge-

nialia agitabantur, ex ferculis appositis, in lances reponerentur particulæ ex melioribus cibis, quæ deinde transmittebantur ad pauperum, præsertim infirmorum domos: alibi fuisse quosdam constitutos: qui in familias pauperum inquirerent, quorum si paupertas minùs nota erat; ut quos mendicare meritò puderet: clàm ijs de necessarijs provideretur: Hic vix me contineo, quin invehar in Parochos divites, qui cumulandis opibus vacant: ut dum vivunt, consanguineos, & familiares ditent, aut cùm obiverint, testamento ijs, etsi pauperes non sint; & quidem ex bonis ipsis Ecclesiasticis plurimùm relinquant: quod facinus vehementer exagitant SS. Patres, qui facultates Ecclesiarum pro patrimonio pauperum, & res pauperum non pauperibus dare pro crimine sacrilegij habent. Non ita optimi pastores olim testamenta, aut hæredes scribebant. S. Joannes Alexandrinus hoc testamentum sibi condidit, *Ago tibi gratias Domine DEus meus, quòd me dignum censueris, qui tua tibi offerrem, & quod ex mundi bonis nihil aliud sit mihi reliquum; nisi tertia pars nummi quem ipsum*

ipsum jubeo etiam dari pauperibus, qui sunt fratres mei in Christo. At verò sanctus Augustinus ne testatus quidem est: nisi hoc habere velis pro testamento. *Augustinus testamentum nullum facit; quia unde faceret, pauper Christi non habuit.*

NUM. III.

Orphani, Pupilli, Viduæ.

QVod inopia, & egestas in pauperibus facit, ut eorum causæ deserantur, aut prodantur: facit in Orphanis, Pupillis, & Viduis vel ætatis, vel sexus imbecillitas; hinc enim facilè illis etiam evenit: ut calumnijs, & injurijs potentiorum hominum impetantur: neque tamen contrà se tueri possint; ideoque harum quoque miserabilium personarum DEus peculiarem, utpote ipsi relictarum, curam suscipit: idque nos Sacræ literæ docent: *ne attingas* (inquit Sapiens) *parvulorum terminos & agrum pupillorum non introeas; propinquus enim illorum fortis est, & ipse judicabit contra te causam illorum.* Ubi non tantùm lapidem terminalem prohibet loco moveri: sed ne quidem digito attingi: agrum verò, qui ad Or-

phanos, aut Pupillos pertinet, non modò non possideri vetat: sed ne quidem introiri, aut pede adiri sinit: alioqui quantumvis ipsi imbecilles, & abjecti sint, propinquum habituros, Curatorem, Tutoremque fortissimum, neque alium, profectò quàm DEUM, qui ipsemet eorum res, & causam suscipiat, & pro ijs contra iniquos invasores litiget; imò tanquam judex supremus eos judicet, & vindicet: quod idem de viduis pronuntiat idem Sapiens: *Dominus firmos faciet terminos viduæ;* ne quis scilicet eos movere audeat, aut valeat. quæ sententia S. Ambrosium movit: ut diceret: *Fides exhibenda est omnibus: sed major causa Viduarum apud DEUM:* igitur jure meritissimo in omni bene instituta republ. Orphanorum, Pupillorumque tùm Tutelæ, tùm Clientelæ, & Viduarum defensio Magistratibus, quasi Protectoribus DEi Vicarijs committuntur.

Romani certè è convivijs nuptialibus, & Triumphalibus in Viduas, & Orphanos sportulas dividebant; & apud non-

nonnullas alias gentes, Viri principes ſigno dato Viduas, & Pupillos convocabant: ut ijs menſæ reliquæ dividerentur. At ego, inquis, nec Tutor ſum, neq́ue Curator: eſſe tamen potes; fac, ut ſis: ſaltem pro Concione Pupillorum, Orphanorum, Viduarum apud populum cauſas age: & alijs commenda: contra eorum oppreſſores declama, ſi quem noris è tuis in eo vitio notari. Ivonem age: ſatis eris diſertus, & peritus legum, ut æquitatem judicij commendes; & ut deſiſtant: divinam juſtitiam intenta.

NUM. IV.

Xenodochium, Noſocomium, Carcer.

HÆc quoq́ue non tantùm ex communi causâ Chriſtianæ charitatis, ac miſericordiæ: ſed ex paſtorali officio ad te, tuamq́ue curam pertinent: ut peregrinis, præſertim pauperibus, aut in eo loco ignotis, cùm hoſpitio, & victu carent: de tecto, & paupere ſaltem alimento proviſum ſit: præterea ut in-

firmi, quibus neq; loculus, neque foculus, neque lectulus, neque vitæ necessaria suppetunt, Christianâ pietate sublevventur; deniq; ut in carceribus, & vinculis detenti solatio, &, cùm opus est, tuâ, aliorumque ope juventur; atq; imprimis; uti peregrinos benignè excipere, & pro ipsorum conditione bene habere, humanitatis virtus est: ita inhospitalitas, ferinum est vitium: gentiles ipsi Divam hospitalitatem pro numine habebant, vetabantque eam ob rem hospites lædi; ne hospitalis Jupiter, divinâ ope per preces imploratâ, fulminaret hospitalitatis violatæ viros. *Disce tu Christiane*, inquit Sanctus Augustinus, *exhibere hospitalitatem: ne fortè cui domum clauseris, cui humanitatem negaveris ipse sit DEus.* Audi præterea quid S. Ambrosius: *tanta* (ait) *apud DEum hospitalitatis est gratia: ut ne potus quidem aquæ frigidæ præmiis remunerariis immunis sit. vides, quia Abraham DEum recipit hospitio, dum hospites quærit: vides, quia Loth Angelos recepit: unde scis an tu, cùm recipis hominem, suscipias Christum, licet in hospite Christus sit, quia Christus in paupere est: hospes eram, inquit.* Sed tu non commu-
nia

nia Christianis: sed Pastoribus Animarum propria desideras: Concilium Tridentinum monet Beneficiarios, inter quos sunt Parochi: ut pro ratione proventuum hospitalitatem exerceant: Apostoli sententia est, oportet Episcopum Hospitalem esse: non sum (inquies) Episcopus; ac ne quidem fieri desidero: sed tamen Pastorem te esse memineris: bonus Pastor oviculam etiam alieni ovilis colligeret, & quando esset opus, suis septis, & stabulo receptam reficeret. Sed proferam nunc, quod te attingit propriissimè. Burchardus Episcopus Volmatiensis in ijs quæ edidit decretis, vult Episcopos in solemni visitatione Parochiarum; in quâ de gravibus criminibus inquiritur: ut ex officio, quasi de crimine interrogent; num aliqui sint in Parochiâ, qui ad se venientibus peregrinis hospitium negant. quâ ille te pœnâ mulctaret, si ipse, qui pascere debes, inhospitalitatis, quasi enormis criminis, reus accusareris? Quare ne officio desis, pro concione populum excita: ut peregrinos, præsertim inopes tecto, & vulgari saltem cibo excipiant;

& ut exemplo præeas: tu ipse, pro tuo modulo, & prout res exigit, excipe, præsertim advenas Sacerdotes, & homines Religiosos: Eos enim aliunde quæritate hospitium: aut ijs à te hospitalitatis gratiam negari, turpe est. Præterea si quæ hospitalia à majoribus fundata sint: attende ne proventus ad alios usus avertantur: Si nulla sint instituta, da operam ut aliqua erigantur: qua de re cum Domino loci, Senatu, & Episcopo consilium capias. Sed multò etiam majori curâ Nosocomiorum pro infirmis pauperibus habenda ratio: quòd non modò careant opibus, quibus necessaria conquirant; sed morbo premantur ne se ipsos juvare possint, & in mortis periculum conjiciantur, si sint neglecti.

Quare eos sæpius visitabis, curabisque tum aiijs rebus, tum maximè ne Sacramentis Ecclesiæ careant: quod ne accidat, consultissimum foret neminem eò admittere; quin priùs ritè confessus sit, & quamprimùm licuerit Sacram Eucharistiam sumpserit.

Leges in bene constitutis tum Xenodo-

nodochijs ea continere debent, quæ tum ad domeſticam diſciplinam, & eorum qui eam adminiſtrant, officium pertinent, tum quæ peregrinis vel infirmis, quamdiù ibi verſantur, facienda incumbunt; ut ſunt quædam Chriſtianæ pietatis officia, & obſequia erga benefactores: Mane, & Veſperi ſtatæ preces, tum in communi, tum privatim: rebus divinis intereſſe, certis diebus confiteri, & Sacram Euchariſtiam ſumere: & ſi quæ alia accommodata loco videbuntur.

Reſtat carcer, in quo libertate (magno hominis bono) amiſsâ clauſi, vinctique detinentur: quæ miſeria, ut magna eſt: ita paſtoris etiam ſingularem miſericordiam, opemq; implorat. Muneris igitur hoc etiam tui erit, captivos inviſere, ſolari, quâ poteris ope juvare, præſertim ſi conſilij, & rerum egentes ſint, atque ab alijs deſerti, tum verò maximè, ſi inique ab alijs opprimantur.

Quòd ſi crimen capitale inferatur, & reus extremi ſupplicij accerſatur, cave tu, ne vel facinus exaggeres, vel denuncies decretam mortem: eo nuncio homi-

hominem percelles, & à te alienabis: quòd si gravitatem sui flagitij, & impendens capiti malum ipsemet agnoscat, & deploret, monebis; ut imprimis numen sibi propitiet, sæpiùs actum Amoris DEi, & veræ Contritionis eliciat, ex formulâ, quam scripto trades, DEi Matrem, Tutelarem Angelum, Patronos cœlites precibus, & votis devinciat; offeres, si quid adversi contigerit ipsi, uxori, liberis, quidquid opis, & operæ potes. Interim forti, generosoque animo à divinæ providentiæ manu sententiam expectet, atque ad omnem eventum se comparet: Confessionem tamen peccatorum excipere necdum fortè expediet, ne metu frangendi sigilli, vel aliquid jam celet, vel posteà fidem fractam incuset, nisi fortè ipse Confessarium urgeret vehementer ad Confessionem Sacramentalem præmittendam: invisendus interim carcer sæpius, quò citiùs creditur finiendus Judicialis processus. Statim verò atq; supplicium illi denunciatum erit, jam toto conatu laborandum: ut cùm de corpore actum sit, animæ consulatur: plerumque ini-

initiò difficile ita Reum componere, ne Judicem ipse injuſtitiæ arguat, aut, ut mortem æquo animo acceptet; varia paulatim ſuggerenda cum multo ſale prudentiæ: ut ſenſim ad æquitatem, & neceſſitatem ſubeundam inflectatur: temporis parum ſupereſſe, jam tandem ſtudendum æternitati; non fore mortem adeò ipſi, vel ſuis, quos relinquit, infamem; ſi eam pœnitudo, & animi moderatio honeſtet, atque apud alios commendet: tum Confeſſio, & Sacra Communio tempeſtivè urgenda, curandumque, ut nunquam deſint, qui pijs monitis, brevibus oratiunculis jam labentem erigant, ſpe præſertim cœleſtis patriæ, & beatitudinis; quanquam ſi durior eſt animus, proponendi etiam erunt inferorum cruciatus æterni. Attendendum autem, ne, dum ducitur, vel vino, vel aliâ cauſâ in ſcurriles jocos, & facetias ad ſupplicium, quaſi hiſtrio ad theatrum eat; quæ res ſpectatores graviter offendit. Cavendum præterea, ne concionabundus ad Magiſtratum, aut populum aliqua ineptè effutiat.

 Mul-

Multùm juverit inter ducendum passionem Christi per partes, veluti per septem Stationes, menti objicere. Primò: Quæ in Horto. Tum quæ ad Annam. Tum quæ in domo Caiphæ. Quid in Prætorio Pilati. Quid apud Herodem: quid ad crudelem Columnam: Deniq; quid post iter cruentum cum Cruce in Calvariâ actum sit a Carnificibus. Quid verò à Christo pro nobis toleratum, & quantâ cum humilitate, patientiâ, constantiâ. Quid postremò ipse inter irrisiones, & probra moriens dixerit. *Pater ignosce illis. Hodiè mecum eris in Paradiso. Ecce Mater tua. Sitio, DEus, DEus meus, Consummatum est*; Et in Extremo spiritu. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Hæc suaviter, & fortiter afficiunt; tunc etiam magis, si è collo Marianum Rosarium: si in manu Crucifixi Effigies, & Numisma Benedictum. Cùm advertes jam jam imminere extremum supplicium; petes, ut ad aurem verbo, vel alio signo innuat, an conscientiam aliquid excruciet; & licet nihil angat; ut saltem significet, an cupiat postremò absolvi in gene-

reà ſuis peccatis, quod fieri poteſt, vix cæteris advertentibus. De quâ re anteà præmonendus fuerit, ut majori cum ſecuritate vitam finiat: deniq́ue ſacratiſſima nomina (ſaltem corde) proferat ad lucrandas ſacro numiſmate indulgentias. Quamprimùm expirarit, brevi exhortatiunculâ ad populum Animam precibus, & ſacrificijs commendabis. Si Judex permiſerit corpus ſacræ Sepulturæ, curabis terræ tradi Chriſtiano more. Quam in rem conferunt opem inſtitutæ quibuſdam in locis mortuorum Confraternitates: quas in Parochiâ inſtitui laudabile eſt, pro ijs generatim, qui inopes moriuntur: ut ſuus etiam illis ſepulturæ honos ſit.

Plus negotij, & moleſtiæ ſuſcipiendum erit; ſi ij, qui morte afficiendi, necdum Chriſtiani, vel certè Hæretici vixerint hactenus. Tempeſtivè, & ſeriò agendum etiam ſpatio, ſi opus fuerit, à Judicibus impetrato Varij ad conferendam operam ſubmittendi: Tentanda omnia. Quod ſi neque ſic quidem ad veram religionem, & bonam mortem

induci possint, persistendum tamen usque ad mortem; Docuit experientia aliquos in extremo ipso spiritu Baptismum, aut pœnitentiæ Sacramentum expetivisse: & licet non petant: laus tamen, & commendatio non vulgaris erit, etiam hic præstitum officium boni Pastoris, neque desideratum fuisse.

CAPUT V.

Conversatio cum Parochianis.

NUM. I.

Quædam de Conversatione generatim.

HOc Caput, caput est totius ferè vitæ Pastoralis: ex conversatione enim spiritus quasi vitales in partes omnes officij dimanant, siquidem vita exemplaris, quam primâ parte proposuimus, & utilis Sacramentorum administratio, quam secundâ parte prosecuti sumus; Denique Concionum, Catecheseos, reliquarumque functionum Parochialium recta institutio, quam hac parte tractamus, in conversando ferè consistunt; adeo

adeò converſatio latè patet, & in bonam, aut malam partem ſummam habet vim. Quare plurimùm refert; ut bene converſandi rationem percalleas, cumque illa non niſi longo uſu comparetur, ex alijs addiſcas, ſi ipſe necdum uſum comparaaris. Ideò ero hic paulò accuratior, ut in re tanti momenti optime tibi, alijſque conſulam. Rectè enim S. Hieronymus: *In te oculi omnium diriguntur; Domus tua, & Converſatio, quaſi in ſpeculâ conſtituta, Magiſtra eſt publicæ diſciplinæ:* atque duo imprimis generaliora ſunt, & veluti principia totius converſationis: primum eſt illud, quod jam in primâ parte propoſuimus, exemplum bonæ vitæ: hujus enim in Parocho ratio habenda eſt maxima; ſi fructuosè verſari inter ſuos velit. Alterum eſt hujus loci: Conciliatio benevolentiæ erga Parochianos. Ita enim ferè quiſque res æſtimat; ut eſt affectus. Itaque ſi populum habes addictum, trahes, quò voles, ſequetur enim ſponte: conciliantur autem animi potiſſimùm beneficijs: nam redamant homines eos; quos ſibi bene velle viderint. Id

autem

autem exhibitione beneficiorum, & officiorum cognoscunt: pridem dictum à S. Gregorio: *Probatio charitatis, exhibitio operis.* Quòd si benefacere non possis, necessum erit, ut in te saltem videant propensam ad benefaciendum voluntatem: id ut nos doceret Christus, sibi omnes, etiam Adversarios benefaciendo, & sanando demereri semper studuit: neque opus est, diutiùs hic immorer; res ipsa, quantum valeat, loquitur. Verùm particularia quædam sunt partim sectanda, partim fugienda in conversatione cum Parochianis, quæ plusculum otij, & eruditionis requirunt.

NUM. II.

Conversabere cum omnibus quidem; sed diverso modo.

NEgligendus tibi è tuis nemo, multò minùs quispiam contemnendus: omnibus aliquid debes; nobilibus, & plebeis: eruditis, & rudibus: divitibus, & egenis: sanis, & infirmis: Pueris, & adultis: senibus, omni ætati, utriq; sexui; neque probis tantùm, etiam impro-

probis. Habes præclara exempla: DEus reſpuit neminem. Chriſtus in omnium ſalutem incubuit. Paulus fiebat omnia omnibus; etiam ad ſcenefactoriæ artis pellionem divertebat: neque Petrus magnus ille Paſtor hoſpitari apud Simonem Coriarium dedignabatur. Sed neque tamen cum omnibus ſemper, neque cum ſingulis eodem modo tractandum: quando autem, aut quomodo à prudentiâ rerum agendarum Magiſtrâ exquirendum. Cum Nobilibus nolim te eſſe ruſticum, nolim aulicum: ita age; ut adoleſcentiam tuam nemo contemnat; ita vive; ut dignitati tuæ labem non inferas, neq; tamen ita ſtudiosè tuæ authoritatis ſis retinens: ut Domino loci, viriſque primarijs nihil unquam concedas; memor ſis dicti Apoſtoli: *Honorem, cui Honorem.* Bono tuo, & Eccleſiæ plurimùm ſanè refert: ut illos, qui in eo loco dominantur, tibi habeas adjunctos. Itaque cavebis, ne temerè impetas, aut laceſſas, rixas, aut lites excites. Quòd ſi contra authoritatem, vel immunitatem Eccleſiaſticam aliquid attentent, aut mo-

moliantur; rationem allatis causis experire: si nihil proficis, præmissâ protestatione; quòd non ducaris, nisi studio divini honoris; rem controversam deferas ad Episcopi tribunal; neque interim re ullâ, ac nec verbo quidem, læde; imò conare officijs demereri. Jam verò plebejos, rudes, egenos, aliosve miserioris fortunæ, aut vitæ etiam improbioris, sic tracta: prout cujusque ratio, & utilitas postulabit. Nullus tibi debet videri vilis, qui divini sanguinis pretio constitit. Pastor sis totius gregis; etiam Agnelli, etiam Oviculæ infirmæ, scabiosæ, errantes quoq; ad te pertinent. Pastor ille Evangelicus, relictis nonaginta novem, perditam unam requirebat: & medici nusquam magis conversantur, quàm cum ægris. Christus idem supremus Pastor, & Medicus venerat pro ovibus, quæ perierant, & cum peccatoribus non conversabatur modò; sed familiariter convivebat, à quibus ipsi quidem, qui nulli periculo suberat, minùs erat cavendum: at hic tibi major adhibenda cautela, ne dum ovem errantem requiris, lupus te voret

voret, aut lupus evadas. Periti medici, ubi regnant morbi contagiosi, antidotis, & præcautionibus student: ne luem ab alijs contrahant; quo in genere nihil magis cavendum, quàm à fœminis: qua de re posteà.

NUM. III.

Mansuetudinem præcipuè in Conversando sectare.

HÆc virtus, quam maximè à naturâ nostrâ insitam habemus, propriè humanitas appellatur: eam, qui exhibet, homo dicitur; qui non habet, ferus. Nulli autem magis necessaria illa est, quàm ijs, qui regunt; quomodo enim reget alios, qui se priùs regere non didicerit? Est autem mansuetudinis hoc munus: animi ferociam cohibere, verborum acrimoniam detergere, corporis motus effrenes componere: quod ubi effecerit, totique homini imperârit, jam regina est cordium illorum, quibuscum conversaris, & Suada animorum: quidvis ab alijs, aut impetrabit, aut imperabit. Eam virtutẽ David Rex spiritum principalem

lem appellat, quòd maximè deceat Principem: Sic inter apes Regulus aculeo caret, vulnerat neminem; purum putum mel propinat. Ita Moyses cervicosum, & difficilem populum facilè inflectebat bonitate, quâ sanctus erat, & quâ verbis monstra ipsa placabat: Intelligis, quo studio mansuetudinem sectari debeas, quantumvis nonnunquam conversandum tibi sit cum nonnullis agrestibus, & feris, qui te lacessant, & bilem, stomachumque concitent; quibus etsi quandoque correctiones, & reprehensiones adhibendæ sint: tamen tunc etiam moderatio animi, verborum, gestuum retinenda: ut non excandescas, aut prorumpas in verba injuriosa, aut nimiùm acerba, aut quæ hominem magis, quàm vitium impetant. Video te commoveri. Ergonè, inquis, me Ovem ex Pastore facis, & Oves Lupos, ut me devorent? ista Monachum forte deceant. At pastoris nomen, dignitatem, authoritatem tollunt. Quid enim? si Parochum vident, præsertim ætate minùs venerabilem, animo placido, ore suavi, mellitis moribus, &, ut vocas, man-

mansuetum, quodque necessarium erit, humilem, patientem: curatorem suum non curant, imò floccipendunt. Neq; verò irasci semper peccatum est. Christus, si non iratus est, certè iram præ se tulit. Petrum Sathanam vocavit. Scribis, & Pharisæis sæpè *Væ* intentavit: vendentes, & ementes in templo etiam verberibus incussis ejecit; nummulariorum mensas, & æs evertit. Quid plura? Ohe! mi bone vir, ne mihi irascere, nondum dixeram omnia, quæ volebam: non sum ita rudis: ut nesciam mansuetudinem, sicut cæteras virtutes, modum, mediumq; tenere; ex quo, si ad extrema hinc inde abeatur, in vitium degeneret. Mansuetum te esse volui, non mollem; sed neque ferum; Medicos, & Opiliones imitabere: Medici non semper, neq; in omni morbo ferro, & igne utuntur. si utantur, lenimenta admovent; ut molestiam molliant: potiones amaras, quando vis morbi patitur, melle, & saccharo illinunt. Medicus Evangelicus, ut vulneratum seminecem curaret, vini acrimoniam, & olei lenitudinem adhibuit.

Si-

Similiter opiliones, dum lanam tondent, cutem non lacerant, si curant scabiem, ungues non impingunt, aberrantem oviculam fistulâ revocant, aut glebâ leviter injectâ; cùm verò amissam recuperârint; non exdorsant, aut exossant: exosculantur, sinu excipiunt, ac tandem in humeris reportant: Hoc modo Pictores bonum Pastorem effingunt, eamque effigiem antiqui sacrorum calices insculptam exhibent, & Archi-Episcopale pallium ex lanâ ovinâ humeris gestatum repræsentat. Quæ in Christo objicis severitatis exempla, quàm pauca, quàm rara, quàm mixta suavitate erant? Toto triennio, quo cum hominibus tam diversorum humorum, & morum conversatus est, vix ter, quaterve iracundiam præ se tulit: semel Petrum Sathanam; id est sibi adversum (hoc enim Sathan significat) tunc appellavit, cùm à se crucem amoliretur, quàm leniter, & quàm leviter in causâ, licet gravissimâ? Scribæ, & Pharisæi jurati, & publici hostes Christum insectabantur, lenitate capi nolebant, carpi debuerunt.

runt. Carpſit Chriſtus, neque tam illos, quàm publica illorum vitia, neque frequenter, neque nimis durè; cum vendentibus verò, & ementibus in templo quàm manſuetè actum? intolerabile erat facinus: Domus DEi fiebat forum non modò; ſed etiam ſpelunca latronum; zelo ardens divini honoris Chriſtus ejecit, arripit non flagrum, neque flagellum omninò, ſed quaſi flagellum, neque ex funibus; ſed ex funiculis, &, quod ſciam, vulneravit neminem; imò neque percuſſit non modò verbere, ſed vix verbo: nam hæc nihil habent acerbitatis; *auferte iſta hinc; hæc domus eſt orationis*. quòd ſi menſas dejecit, non effregit; effudit æs; non rapuit: Nunc confer iſta cum totius vitæ Chriſti decurſu, reperies expreſſum, quod Iſaias vaticinans prædixerat; *non clamabit, non contendet, non audietur vox ejus foris: calamum contritum non conteret, & linum fumigans non extinguet: cum veritate educet judicium: neque turbulentus.* Diſcipulos rudes, & ſubinde moleſtos, quàm benignè, quàm patienter tulit? cum peccatoribus maximis

convivabatur; tantùm abest, ut durè eos tractaret. Lege conciones, quas habuit, rostro, ungue, aculeis carent; ut meritò se mansuetudinis Magistrum profiteatur. *Discite à me, quia mitis sum;* sed nunquam id docuit magis, quàm sub finem vitæ: ubi maximè irasci, si aliquando oportuit, jam oportuerat: retexe historiam Christi patientis: *si me quæritis*, inquit, *sinite hos abire: si benè locutus sum, quid me cædis: Filius DEI sum; à modò videbitis;* apud Pilatum verò falsò accusatus, flagris concisus, & priùs ab Herode illusus, quid dixit? tacuit. In cruce locutus est inter horrendos cruciatus, & opprobria, & irrisiones verba septem: nullum felle, quod propinabatur, illitum: denique inclinato capite loqui, & vivere desijt; neque tamen tot, & tantis mansuetudinis exemplis dignitatem suam, authoritatemve imminuit; imò auxit plurimùm: error ille est, non virtutibus, mansuetudine, humilitate, patientiâ; sed vitijs, feritate, fastu, impatientiâ, existimationem, & Potestatem Parocho conciliari,

aut conservari. Nolim tamen putes tibi à me interdictum; ut bono nomini consulas; ut, si quis te infamet, ne te jure tuo optimo tuearis: personæ enim publicæ famam negligere non licet; si id bono publico obsit: sed tamen hæc ipsa justa causa, & defensio intra leges Christianæ mansuetudinis, velut intra sacram lineam, concludi debet, ne exorbitet longiùs.

NUM. IV.

Fuge Commensationes, & lusus vetitos.

PAstorem cum ovibus versari in popinis, compotare, ludere, non modò contemptum parit; ut quævis nimia familiaritas: sed ipsi, & gregi immane quantum nocet; quis nescit, quæ, & quot flagitia istic reperiantur? ubi crapulæ regnant, ebrietates, detractiones, juramenta, perjuria, blasphemiæ, obscænitates non modò verborum; sed etiam rerum, jurgia, pugnæ, cædes; tum scilicet cùm ex morâ

novæ, & novæ illecebræ gulam irritant, & ingluviem; & mens, ac lingua largo potu non jam madet: sed mergitur. quamobrem monet Sapiens; eum, qui sapere velit: *Noli esse in conviviis potatorum, nec commessationibus.* quod monitum etsi ad omnes spectet, longè maximè ad Parochos: ob gravius scandalum, cum passim occlamatur: *Ecce pastor, quasi unus ex nobis potator, aleator; dicit, non facit* (ut omittam quæ alibi prosecutus sum) & quàm turpe est, diu quæri Parochum, nec reperiri, nisi tandem in tabernâ; inde extrahi ad res sacras; cùm jam mens titubat, memoria fallit, lingua hæret, manus, & pedes officium negant? ob has, opinor, causas, magnus ille Mediolanensium Pastor Ambrosius, licet invitatus, fugiebat convivia; & alter illi par Hipponensis Antistes Augustinus, inter cætera, mandabat suis, ne convivijs interessent; Sanctus Hieronymus idem vetat, rationemque adfert: *quia facilè contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium irè non recusat.* Benè est, inquis; sæpè aut non vocabor, aut recusabo: subindè ire expedit:

dit: ut si convivæ sint honesti; aut spes sit præsentiâ Parochi coërcendi convivas, ne in illa conviviorum, quæ reprehendis, vitia diffluant. præterea quid si invitant Domini? quid si Magistratus, aut Viri primarij, quibus si des repulsam, contumeliam, aut probrum ingerere videaris? & hic minus erit periculi. ita tu quidem: ego hoc nescio: errat enim, qui putat ea jam esse tempora, quæ Tobiæ; quando cum timore Domini lætabantur: aut Judithæ, *cùm erat populus comedens secundùm faciem Sanctorum:* in Aaronis potiùs sæculum recidimus, cùm *cœpit populus manducare, & bibere:* quid inde verò? *& surrexit ludere*, id est, vitulum pro DEo colere, cùm grex insanit, faciliùs fit Pastorem primò colludere cyathis, insanas vociferationes miscere; quàm surdis concionari, aut insanis sana consilia dare: insurgit hic Augustinus, *quia aliqui*, inquit, *etiam Clerici, qui hæc deberent probibere, ipsi cogunt bibere aliquos, plusquam expedit, a modò incipiant, & se ipsos corrigere, & alios castigare: ut, cùm ante tribunal venerint, nec de suâ, nec de aliorum ebrietate incurrant supplicium.*

Quod ad imitationem Magnatum, & Optimatum attinet, nescio an ea etiam magis sit fugienda: & fit non rarò, ut excusatio sit facilis; vocant enim subindè; venire nollent; Ita sentiebat Hieronymus; *Convivia vitanda sunt sæcularium; maximè eorum, qui honoribus tument; consolatores nos potiùs in mœroribus suis, quàm convivas in prosperis noverint;* tum subdit: *facilè contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus non recusat.* Deinde adjungit: *nescio enim, quomodo etiam ipse, qui deprecatur, ut tribuat: cùm acceperis, viliorem te judicat, & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posteà veneratur.* Quodsi tamen subindè citra periculum, & scandalum; ut adsis, graves causæ, componendarum litium, promovendæ religionis, invitant, Sanctum Gregorium Nazianzenum imitabere; qui cum venerationis gratiâ à Theodosio pio Imperatore ad mensam invitaretur, penè invitus, non tam ibat, quàm trahebatur. Hinc hæc ipsius cùm ea importunitate liber esset, exultantis animi congratulatio: *Non tam Imperatori, ut priùs, contubernalis erit Gregorius, atque inter medios Epulones non erit tristis, tacitusque accumbens, ægrè anhelitum ducens,* &

Sedens servilem in modum. Quòd si necessitas te ad convivium etiam quantumvis Magnatum, compulerit, veniaturque ad insanos sanitatum calices, & provocationes ad grandes, æqualesque haustus, cave ne respondeas: memor istius Prophetæ: *Væ, qui potum dat Amico, mittens fel suum, & inebrians:* genus crudelitatis est sub amicitiæ symbolo sanitatem alteri non dare, sibi eripere. In quem inhumanum morem sanctissimi Patres vehementer excandescunt, Augustinus maximè, & Ambrosius; Schytica hæc lex est, aut bibe, aut abi: In Assueri mensa nemo alterum cogebat: eò tu expeditiorem recusandi viam reperies, quòd alij faciliùs id tuo statui concedent. Sed in genere conviviorum etsi visitanda ferè omnia, nulla tamen magis, quàm quæ nuptiarum causâ instituuntur: Sunt enim hic majores illecebræ, & præsentius periculum; ubi simul convivantur Bacchus, & Venus. Quare meritò ex Concilio Agathensi jure Canonico statutum: *ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi nuptiarum evitent convivia; nec his cœtibus misce-*

antur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obscœni motus corporum choreis, & saltationibus exhibentur. Marchantius, in suo Horto, refert funestos duos casus; qui non pridem acciderant; Pastoris unius, qui tabulato, ubi Epulum erat nuptiale, dehiscente subitò infelix sub ruinâ oppressus scyphum adhuc manu tenens exspiravit: Alterius verò, qui simili ex causâ temulentus, dum ex loco editiori descenderet, per gradus corruit, neque multò pòst fractis cervicibus miseram quoque animam exhalavit.

Abirem ex hoc conviviorum loco; nisi me tantisper lusoriæ tabellæ, turriculæ, & fritilli, taxilli; schachi; & vetiti ejusmodi sub alearum nomine lusus detinerent. Mirum, quàm severè, & acriter Sancti Patres, præsertim Cyprianus, & Basilius aleas, & aleatores exagitent, non tantùm propter temporis, & fortunarum damna; sed ob plurima, eaque gravia scelera, quæ ludi vetiti secum ferunt: ideoque meritò Clerici lusores gravibus pœnis castigantur. Extat adhuc inter Apostolorum Canones, quos sexta

Syno-

Synodus recepit; hoc grave ſtatutum. *Presbyter, aut Diaconus Aleæ, atque Ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut Communione privetur.* Prohibet quoque Cæſarea lex Juſtiniani Imperatoris; ne perſonæ Eccleſiaſticæ ad tabulas ludant, aut ludentibus ſe aſſocient, aut ſpectatores ſint. Quid ergo, inquies; tam flagitioſum, tamque grave piaculum eſt ludere, præſertim abſque ſcandalo, abſque gravi temporis, aut æris jacturâ, ſalutisvé periculo? conſule tu, quos voles, & videbis; certè faciliùs meo judicio abſtinebis omninò, quàm omnia pericula evites.

NUM. V.

Vitanda omnium maximè familiaritas cum fœminis.

HIc, ſi uſpiam blanda pericula Sirenum, imò rabidæ Scyllæ, profundæ Charybdes, latentes Scopuli, & infamia multorum naufragijs Acroceraunia. Tritum adagio eſt; Mare; Ignis, Mulier, tria mala; ſed tamen minùs tempeſtuoſum eſt Mare, Ignis minùs inflammat; in muliere omnia nocent. Oculi

instar Basilisci, vel solo aspectu, venenant; labia, & ora flammas vomunt; vel levis attactus inficit, & (quod atrocius est) Mulierem sacræ literæ cum Leone, Urso, Pardo, Colubro, Serpente comparant, itaque nihil hoc malo nocentius. pave, cave, præsertim in hac tuâ juvenili ætate, quæ cùm straminea sit, nullo negotio Ignem concipit. Eò autem magis cavere debes, quòd solemni Castitatis voto te divino cultui obstrinxeris; labi alijs peccatum quidem est, tibi enorme sacrilegium. Pronior autem est lapsus, quòd conversationis causa obtendi soleat species aliqua pietatis. Quid ergo agam, inquies? monebas paulò superiùs mihi conversandum esse cum omnibus; neque aliter esse potest, quàm sæpè cum fœminis, aut certè abdicandum erit mihi munus Pastorale. Minimè verò, neque enim prohibeo ne converseris, cùm officium postulârit; sed ne familiariter agas; moneo autem ut cautè, ut caste. Audi quid hac in re tibi Sancti Patres præscribant, verba ipsa citabo, quô plus ponderis

deris habeant. Cyprianus de singularitate Clericorũ, *sic ambulate*, inquit, *sic agite, ut semper Ecclesiæ Senatus candidus constet; Severitas circa fœminas vigeat; Authoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur & ubique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia; sed quasi transeunter fœminis exhibenda est accessio, quodammodo fugitiva.* Et Basilius ad filium spiritualem: *cum fœminis ne velis uti longis, & otiosis fabulis.* Et in constitutionibus monasticis: *si fieri possit mulierum colloquia, congressusque funditus fugiamus: sin id non possit, in eo enitendum est certè; ut quàm rarissima illa, & quam brevissima sint.* Jam verò S. Hieronymus ad Nepotianum. *Hospitiolum tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. quod verò propter officium Clericatus aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Solus cum sola, secretò, & absque arbitro, vel teste non sedeas:* Ita SS. Patres illi: quorum hæc est summa, *cum fœminis agito severè potiùs, quàm blandè: auctoritatem, vigorem, gravitatemque conservato: obiter, & quasi per transennam alloquitor: nec multa, nec otiosa; imò rarissimè & brevissimè. In domũ tuam non admittito, ipse vix adito: nunquam solus cum solâ, loco occulto, absque arbitro, vel teste considito.* En tibi multa præcepta brevi compendio:

paucula mox addam; quia res id postulat.

CAPUT VI.

Administratio propriæ familiæ.

NUM. I.

Absint à Contubernio fœminæ.

FOeminis, si domi in eodem contubernio, & convictu adsint, malum præsentius esse non potest: jam enim pestis est in ipsis laribus, & penetralibus. utar hîc etiam verbis Sanctorum Patrum; ne de meo rem auxisse videar; ut, *Cum fœmina semper esse* (loquitur Sanctus Bernardus) *& non cognoscere fœminam, nonne plus est; quàm mortuum suscitare;* mox exponit periculum. *quotidie latus tuum ad latus juvenculæ est in mensâ, lectus tuus, ad lectum ejus in camerâ; oculi tui ad oculos ejus in colloquio; manus tuæ ad manus ipsius in opere, & continens vis putari:* Sanctus Cyprianus magis apertè hunc scopulum ostendit, ut magis caveas. *quid illic geritur? ubi libertatis sumit mulier in contubernalitate constantiam: quando in domesticis negotiis, nunc lacertos lanificis operibus nudat; nunc æstuans detegit membra, nunc*

nunc fatigata jactatur, *aut in risum dissolvitur; nunc blanditias exhibet*, & (*quod est venenosius*) *psallere delectatur*, *aut canere; cujus cantu tolerabilius est audire Basiliscum sibilantem*, tum subdit, *taceo reliqua*, *quæ magis pudenda sunt*, *quàm dicenda*. Cavebo, inquies, mihi attendam. At *lubrica spes est*, inquit idem Cyprianus: *quæ inter fomenta peccati salvari se sperat: Impossibilis liberatio est flammis circumdari*, *nec ardere: quod Salomon non negat*, *dicens*, *quis alligabit in sinu suo ignem: vestimenta autem sua non comburet? difficile quis venenum bibet*, & *vivet; verendum est dormienti in ripâ ne cadat*. *Expedit plus benè timere*, *quàm male vivere*, *quod si quis dicat* (verba sunt Basilij) *ex assiduo se cum mulieribus colloquio*, & *convictu non admodum lædi*, *hic sine dubio portentum est quoddam insolentissimum*; & *in utriusque sexus* (*ut ita dicam*) *confiniis positum*, vellicat quoque tibi aurem Sanctus Hieronymus: *quod si dixeris*, ait, *mihi sufficit conscientia mea*, *habeo DEum Judicem*, *qui meæ vitæ est testis*, *non curo*, *quid loquantur homines*, *audi Apostolum scribentem*, *providentes bona non solùm coram DEO: sed etiam coram omnibus hominibus*. Itaque ut nihil aliud subsit, hoc sat ingens est malum, quòd mali suspicionem alijs moveas; Audiatur hic iterum Bernardus, *continens vis putari*, *esto ut sis: sed*

ego suspicione non careo: scandalo mihi es; tolle scandali causam, quo te probes verum, ut jactitas, Evangelij æmulatorem: si non vis scandalizare Ecclesiam, ejice fœminam. Durum, inquies, hoc, inhospitale, & propè inhumanum; quid ais? at quid si hoc DEus ipse præcipit? Scribit certè S. Cyprianus, specialiter divinâ revelatione, sibi præceptum à DEo fuisse: ut mandaret; ne Clerici cum fœminis commorentur. sed tamen scimus, ais, per Canones Ecclesiasticos Clericis saltem indulgeri commorationem cum Matre, Aviâ, Amitâ, Materterâ, Sororibus, aut neptibus: in quibus scilicet naturale fœdus tollit sævi criminis suspicionem: fateor eis plus permitti: tamen consultius esset nec has habere in contubernio. S. Augustinus, ne quidem Germanam sororem admisit, quòd diceret, *quæ cum sorore meâ sunt, sorores meæ non sunt;* & S. Hieronymus Rustico Monacho suadet, ne vel Matri cohabitet; sentiebat mecum S. Gregorius, cujus hæc erat sententia: *omnes generatim ex familiâ exesse, quàm vel unicam adesse.* Hic verò velut in tragicâ Catastrophe exclamas: quis ergo ci-

bos

bos emet, quis coquet? quis everret domum? quis veſtes expurgabit? quis lectum, quis res alias componet? ubi lotrix, ubi cætera pro alijs miniſterijs auxilia? brevi te expediam hoc labyrintho; emet Emptor & coquus; nihil opus erit Emptrice aut coquâ; famulus cætera probè explebit: nihil opus erit ancillis: lotrix ſit foris, puer feret lavanda, lota referet, ad quid ergo in familiâ famulæ? certè non deſunt exempla eorum, qui careant: quidni ſis ex illis unus?

NUM. II.
Domeſticorum curâ.

APoſtolus in Timotheo inter cæteras dotes, & virtutes Paſtoris Eccleſiæ, id etiam requirit: ut ſuæ domui benè præſit: *Si quis enim*, inquit, *domui ſuæ præeſſe neſcit; quomodo Eccleſiæ DEi diligentiam habebit?* vult Apoſtolus (ut Sanctus Hieronymus interpretatur) Epiſcopum domum ſuam benè regere: non ut opes augeat; non ut regias paret Epulas, non ut celatas patinas ſtruat, ut Phaſiadis a-

ves

ves lentis vaporibus coquat artifici temperamento, sed ut, quod populo præcepturus est, priùs à domesticis exigat. pergit idem Apostolus: *si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet:* (scilicet tum corporis, tum animæ) eo facto, & ipso opere *fidem negavit*, quia etsi fidem ipse retineat animo, occasionem tamen præbet infidelibus, Christum, & Christianos blasphemandi; imò verò *infideli est deterior:* nam infideles naturæ instinctu, & pietate naturali curam suorum gerunt, quippe natura, & ratio docent; ut domesticis præ externis prospiciamus. *quàm ergo* (audis loquentem Chrysostomum) *patet locus detractionis dicentibus gentibus, Christianos sine affectione esse, qui despiciant suos, quàm enim turpe est, te extraneos instruere, & tuos in errore relinquere.* Verùm non est hîc meum, patremfamilias optimis præceptis informare, longum hoc foret negotium: & tu ipse id alios doces; dicam tamen breviter pauca pro meo instituto. Imprimis fac alijs præluceas bono exemplo; cum prudentiâ & mansuetudine præsis; devinciasque tuos potiùs bene-

beneficijs, quàm vincias duris verbis, aut verberibus; Arridet hic mihi Seneca in Epiſtola ad Lucilium *cum ſervis familiariter vivere decet prudentiam tuam: ſervi ſunt, imò homines, ſervi ſunt, imò contubernales: ſervi ſunt, imò conſervi; ſi cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunæ; debes cogitare, quem ſervum dicis; eodem cælo frui, æquè ſpirare, æquè vivere, æquè mori.* Exempla jam fortaſſis requiris benè inſtructæ Familiæ. Elzearius Comes familiam ita inſtituebat. *Omnes quotidiè integram Miſſam audiunto, vivunto caſtè, & purè: alioquin exeunto; ſæpè Sacramenta uſurpanto. Ne DEUM, ne Beatam Virginem, aliosve Sanctos blaſphemanto, jurantove temerè, vel inhoneſta proferunto: qui ſecus faxit, in pane, & aquâ jejunare rei ſunto. Teſſeris, aut alio luſu turpi ne ludunto. omnes pacem & concordiam colunto,* Quæris aliud exemplum gubernandæ familiæ in viro Eccleſiaſtico? dabo S. Carolum Borromæum ad Battoreum Cardinalem: *Curabis*, inquit, *familiam caſtam, nec patieris inter domeſticos quenquam, cujus non ſint verba, & mores pudici, habeasque domi, qui in hanc rem invigilent, & crebrò domeſticos moneant: deque eorum vitâ, modeſtiâ in verbis, & cultu corporis cernatur: Inſuper curabis, ut juramenta à familiâ tuâ abſint; ſcurriles joci, convitia,*

contumeliæ, & omnia verborum genera, quæ alios lædant: vestitus etsi decens esse poterit, Cavebis tamen: ut absit ornatus, quo milites, & juvenes uti solent. illud & gravitatem redolet, & illis ipsis quandam majoris modestiæ necessitatem imponit. Vade & tu, facque similiter: familiam tunc profectò optimè rexeris, si præterea adjunxeris pulcherrimam virorum Ecclesiasticorum præsertim virtutem, Parsimoniam, & Frugalitatem.

NUM. III.

Parsimonia, & Frugalitas.

PArsimonia propriè in rescindendis superfluis sumptibus versatur: frugalitas in moderando victu, & vestitu utraque quòd cognatæ sint, nomen invicem commutant: ut is qui Parcus idem Frugalis nominetur: Frugalitas tamen si spectes vim nominis propriè in cibo, potuque cernitur: Parsimonia generatim etiam in moderando usu fortunarum versatur, ut utraque virtus sit: videndum; ne aut excessu in Prodigalitatem, aut

aut ex defectu in Avaritiæ, aut Rusticitatis ſordes degeneret. Itaque ſic agendum: ut modus teneatur, *ne quid nimis*, *ne quid minùs*: in quo habenda ratio perſonarum, temporum, commodorum: tenendaque hæc præcepta. Primum ex Catone, apud Senecam: *Eme non quod opus: ſed quod neceſſe.* Ubi emacitas reprehenditur. Secundum. *Magno ære alieno te non obſtringe*: rectè enim Chilon: Aeris alieni Comes Miſeria. Tertium. *Moderare ſumptus in veſtitu, victu, ædibus, ſupellectile, ne in faſtum, luxum, & in luxuriem diffluas*: nam hæ ingentium etiam Patrimoniorum Scyllæ ſunt, & Charybdes. Quartum. *Dandum ſubinde, ne ſis ſordidus: largitiones tamen ne ſint extra modum profuſæ, dictet ratio.* Quis, Quid, Quibus, quo fine, ex quibus. Horum præceptorum obſervatione accidit illud quod Adagio teritur: *Parſimonia magnum vectigal*, ita enim augentur accepta à majoribus, & proprio labore parta: imò augentur indies. Prodigalitas contrà, ſplendidum vitium, ingenti fortunarum jacturâ rem familiarem proſtituit, familias evertit.

De

De hac re multa præclarè non solùm Sancti Patres: sed Gentiles etiam Philosophi, viriq́ue Principes dixerunt, & mandarunt posteris. Sed tamen hæc laus decet maximè homines Christianos, qui profitentur imitari Christum: quem verò illum? qui scilicet nascens in præsepio jacuit nudus, inops: qui alieno vixit: qui moriens, mortuusq́ue neq; proprium lignum habuit pro lecto, alieno etiam sepulchro eguit. Quale hoc probrum? quis pudor non modò Christianum esse: sed Christiani populi Rectorem; neque in ijs, in quibus gentiles ipsi præluxerunt, eos saltem æmulari. Marcus Cato nunquam vestem induit, quæ pluris esset, quàm centum denariorum: ipsius Cæsaris Augusti cibus communis, potus vini parcissimus, supellex propè vulgaris, & vix plebejæ elegantiæ: lectus verò humi stratus, certè humilis. Epaminondas Dux Thebanorum in supellectile præter ahenum, & unicum veru nihil habuit. Ex his intelligis, mi Paroche, quid velim, quidve ex te nomen Pastoris animarum requirat. Requiris fortè præterea exem-

pla

pla Prælatorum Ecclesiæ: ex quibus discas tanquam à Majoribus Parsimoniam, & Frugalitatem? Longus hîc esset Catalogus texendus, neque tibi multa audire libet, neque mihi recensere vacat: Pauci erunt instar plurimorum.

Nicolaus Cusanus Cardinalis in cœna etiam Lucernis oleo infuso pro candelis utebatur, non esse alienum ratus imitatores Apostolorum ad Lucernam cœnare. S. Carolus Borromæus, etsi ad dignitatem sui status in publico purpurâ vestiretur: interior vestis ex panno & telâ erat; cubicularis verò ex cineritio, & rudi, quam quatuordecim totis annis non mutavit. Vulgares cibos, & scyphos communes adhibebat ad mensam: neque solùm bona Ecclesiastica, quæ pauperum sunt: sed etiam Patrimonium in egenos consumebat.

Gregorius Lingonensis Episcopus panes hordeaceos triticeâ crustâ oblitos esitabat: in aquæ poculis tantillum vini admiscere solitus: ut mutato licet colore aquam saperet. Quæris antiquiora? Basilio magno tunica una, pallium unum,

unum, stratus humi lectulus: suavissima cœna & obsonium panis, & sal, potus aquæ. Augustini sobriam mensam tum etiam; cùm Hospites tractaret; legeris in vitâ. Sed quorsum, inquies, tu mihi ista obtrudis tam operose? nimirum ut à magnis Animarum Curatoribus minor discas Parsimoniam, & Frugalitatem: quam verò ob causam id tantoperè urges? primò sapientiæ, eruditionis, studiorum: secundò prudentiæ, & vigilantiæ; tertiò, ad sanitatem, & vires corporis. quæ omnia quàm tibi Parocho necessaria sint, probè intelligis.

De Oeconomia rerum temporalium nihil præscribo: neque enim illam didici, neque profiteor, nolim te fieri Agricolam, aut Vinitorem, multò minùs ad silvam, aut in stabulis versari: certè non decet; neque juvat: commodiùs ista agent alij; modò ijs attendas; dum tu interim majori studio, & authoritate rem tuam agis: id est, curandis, pascendisque tuis ovibus & animarum saluti vacas. Hîc jam, cùm rem mihi propositam perfecerim, finiam: si brevem opusculo Epilogum attexuero.

EPI-

EPILOGUS.

HAbes nunc, Neo-paroche, Praxes, & Induſtrias vitæ, atque officij paſtoralis in partes, & membra diſtinctas, atque abſolutas; quas cum mecum recognoſco, quaſi in ſpeculo repræſentaſſe, videor optimi Parochi effigiem redactam quidem in formam brevem: ſed tamen ſuis lineamentis, & coloribus ſic ſatis expreſſam.

Accipe ſi placet, ad manum hoc Speculum, & oculis tuis, atque animo propone: nam quamvis argento, auro, gemmis, minùs reſplendeat; niſi fallor, à ſuo ſtanno, & vitro de ſe ſplendet; contemplare inquam, & te ipſum cum imagine, quam ad vivum refert, compone: neque enim ita planum eſt, ut aſpicienti nihil objiciat; neque ita convexum, ut lumen, & colorem ſolùm recipiat: imò calorem & flammas concipit, atque in contuentem reflectit. Agedum, quis tibi hic videris? ſi ad illum, quem exhibet, te conformatum vides, gratulor: excitet te iſta tui pulchra ſpecies, ne tibi maculam inſpergi

ſi-

ſinas: ſi verò (quod nollem) turpiculum te inſpicis; maculam omnem elue: hæc enim ſpeculorum utilitas, & uſus. Meminiſti labij æneì ex ſpeculis mulierum, quæ in templo excubabant? labium iſtud, & Speculum erat, & vas aqueum: ut Sacerdotes ſcilicet ad rem ſacram acceſſuri; ſi quas maculas adferrent, videndo detegerent, abluendo detergerent. Ita hoc Speculum te ipſum tibi repræſentabit, ſi talis es: ſin verò, caſtigabit, ſimulque lachrymas eliciet, quibus te eluas primùm; deinde iterum, iterumque inſpiciendo, optimi illius Parochi formam induas.

Hoc igitur nunc age: ita *cùm apparuerit Princeps paſtorum, percipies immarceſſibilem gloriæ coronam*, quam tibi medullitùs apprecor. Atque hic & tui, ſimulque laboris mei ſit.

FINIS.

Omnia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubjecta ſunto.

Eremum Camaldulensis
Eremi [illegible] Vigorensis

proch

611